# CONGREGATIONE
## PARTICVLARI
*A*
## SS.mo DOMINO NOSTRO
## DEPVTATA.

*Sabaudien. Priuilegiorum.*

PRO

Dataria Apoſtolica.

---

*Juris D. de Ferrarijs.*

ROMÆ, M.DC.XCVIII.
Ex Typographia Reu.Cameræ Apoſtolicæ.

*SVPERIORVM PERMISSV.*

*Eme & Rme Dne.* VEtuſtiſſima hæc Controuerſia, quæ ſuper interpetratione Priuilegiorum, ſeù Indultorum Sereniſſimi Domini Ducis, & Nationis Sabaudiæ iamdiù à Sæculo, & vltrà excitata pluries ad fauorem Sedis Apoſtolicæ, tàm extraiudicialiter, quàm etiàm Iudicialiter deciſa fuit, quæquè modò tamquam noua in lucem prodit, ſeù veriùs reuiuiſcit, dubio procul definienda videtur pro omnibus perpetuis futuris temporibus ad fauorem eiuſdem Sanctæ Sedis; Quippè quæ pro libera collatione Abbatiarum intra diſtrictum Regionis Pedemontanæ, fundatam vtique habet intentionem in aſſiſtentia Iuris ex triplici, & quidem irrefragabili fonte exoriente. Et Primo ex abſoluta poteſtate, ſiuè Dominio, quod Summus Romanus Pontifex, tanquam Vniuerſalis Eccleſiæ Caput, & Rector habet in omnibus Beneficijs alienarum etiam Prouinciarum, & Diæceſum. Sicut enim ille poteſt titulos Beneficiorum creare, & creatos deſtruere, ratione abſolutæ, & generalis adminiſtrationis Iure Diuino ſibi tributæ, quemadmodum vno ore conſentiunt, tàm Theologi, quàm Canoniſtæ, *Teſte D. Thoma ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *articulo primo in reſponſione ad* 7. *Sot. de Iuſtit. & Iure lib.*3. *quæſt.*6. *artic.*2. & latiùs *Cardinalis Bellarmin. controuerſ. tom.*1. *de Roman. Pontific. lib.*1. *ex cap.*5. 10. *& ſeqq. Abbas Panormitanus in cap. Conſtitutus num.* 13. *de Religioſis Domibus*, *Cened. quæſt. Canonic.*22. *ſub num.*4. *Lotter. de re Benefic. lib.*2. *quæſt.*22. *num.* 10. *& ſeqq. & Germon. de Indult.* §. *Per quæ ſublatis num.*37. *& plurib. ſeqq.* & communitèr alij.

Ità, & Iure ſuo dicitur vti, quandò concurrit in Collatione Beneficiorum cum Ordinarijs locorum, vel quandò de eis, tametſi in alienis Diæceſibus exiſtentibus alitèr diſponit, vel ea liberè ſibi reſeruat, vt ſcripſit Stephanus Papa Gualberto Patriarchæ *apud Gratian. in Canon. Nunc verò* 20. *cauſ.*9. *quæſt.*3. ibi - *Licet Apoſtolica prærogatiua poſſimus de qualibet Eccleſia Clericum Ordinare* - & *in Canone ſi à Sede Apoſtolica* 31. *de Præben. in* 6. ibi - *Is, cui Sedes ipſa contulit, vel Legatus proptèr conferentis ampliorem prærogatiuam, erit alteri præferendus* — Et *in cap. Dudum* 14. *eodem titulo*, & clariùs in *Clementina prima in fine vt lite pendent* Ibi - *Salua tamen in præmiſſis omnibus Romani Pontificis poteſtate, ad quem Eccleſiarum, Perſona-*

*ſonatuum, Dignitatum, aliorumq; Beneficiorum Eccleſiaſtico-rum plena, & libera diſpoſitio, ex ſuæ Poteſtatis plenitudine noſcitur pertinere* - & communitèr apud Theologos, & Canoniſtas.

Secundò Ius Sedis Apoſtolicæ, in hac peculiari quæſtione collationis Abbatiarum Status Pedemontani, promanat ex longæua, ac diuturna obſeruantia poſt dicta Indulta continuata, vſque ad hæc tempora, ſecundùm quam Romani Pontifices Prædeceſſores dictas Abbatias, & Beneficia in menſibus Apoſtolicis liberè contulerunt, abſque aſſenſu, nec intentione perhabita à Sereniſſimo Duce, vt concludentèr ex pluribus authenticis documentis demonſtratur in noſtro Summario Iurium. Vndè intrat reſponſum Pauli Iuriſconſulti *in l. 36. ff. de legib. & Senat. conſult.* ibi - *Si de Interpetratione legis quæratur, in primis inſpiciendum eſt, quo Iure Ciuitas retrò in eiuſmodi caſibus vſa fuit, optima enim eſt legum interpres conſuetudo* - cui conſonat aliud monitum eiuſdem Iuriſconſulti *in l. 22. ff. eodem titulo* ibi - *Minimè ſunt mutanda, quæ interpretationem certam ſemper habuerunt.*

Et tertiò magis indubiũ redditur huiuſmodi Ius ex re Iudicata, tacita exaduerſo acceptata, & exequutioni inconcuſsè vſque adhuc demandata. Cũ enim de anno 1659. ſub Pontificatu s.m. Alexandri VII. prætenſio d. D. Ducis, ex benigna permiſſione Summi Pontificis propoſita fuerit, atq; ſubmiſſa Iudiciali Trutinæ Congregationis ſeptem Prælatorum, Doctrina, & virtute præſulgentium ad hunc effectum ſpecialitèr deputatę, eadẽ vnanimi omnium Voto decreuit, Monaſteria, ſeù Abbatias Regionis Pedemontanæ ſub dictis Indultis Apoſtolicis non compræhendi Summ. *num.* 13.; Cui quidem Iudicato tanquam vndiq; iuſto Sereniſſimus D. Dux, eiuſque Miniſtri acquieuerunt, & abindè citrà, tàm prælibatus ſan. mem. Alexander VII., quàm omnes alij Succeſſores æqui, ac Iuſti zelantes Cuſtodes in antiqua, ac pacifica eorum poſſeſſione continuarunt, liberè conferendo controuerſas nunc Abbatias, earumque collationes exequutioni demandando, nulla interpoſita reclamatione, vt in Summario è *num.* 14 vſque ad 31. Ideoque cum huic parti, vltrà claram Iuris aſſiſtentiam arrideat etiam res Iudicata, iam exequuta hæc prò veritate habetur, quæ non debet exaduerſo in dubium reuocari, neque minorem obtinet authoritatem, quam ſolemnis Tranſactionis, ſeù concordati, cui res Iudicata recta ratione æquiparatur ad *Textum in l. res Iudicata* 208. *ff. de regul. Iur. & l. Ingenuum ff. de Stat. Homin. & l. non minorem* 20. *Cod. de Tranſact.*

At-

Atque hinc aduerſùs tot iuridica fundamenta, quibus Sedes Apoſtolica innititur parùm, aut nihil releuant extraneæ, & impropriæ interpretationes, quàs Domini Aduerſantes attribuunt antiquis Indultis Apoſtolicis ſan. mem. Nicolai, Sixti, & aliorum Summorum Pontificum, ex quibus probare conantur ſub eorum conceſſione, non minùs Monaſteria Status Pedemontani, quàm alia Ducatus Sabaudiæ contineri. Etenim contraria huiuſmodi interpretatio, vel eſt omninò fallax, & erronea, vt modò infrà apertè oſtendetur, vel in omnem caſum adeò dubia, & æquiuoca, vt attendi non debeat ad infrigendam auctoritatem rei Iudicatæ obſeruantia antiqua, media, & recenti munitam, aduerſùs quam in Iure noſtro non admittuntur ingenioſa ratiocinia, vel ſubtiles argumentationes, ſed vndique ſolida deſiderantur documenta, quæ illius iniuſtitiam adeò apertam demonſtrent, vt nullo velamine poſſit celari, vel adumbrari, vt monet *Textus in cap. conſanguinei* 11. §. *Fraternitati*, *& cap. intèr vos* 13. *de Sentent. & re Iudicat. Innocen. in cap. ex litteris*, *& cap. auditis de ſtitutione in integrum Giurb. deciſ.* 18. *n.* 7. & 8. *Benintend. dec.* 85. *n.* 7. *Scaccia de Sentent. & re Iudicat. gloſſ.* 14. *quæſt.* 2. *n.* 7. *in fine*, *Adden. ad Ludouiſ. deciſ.* 459. *n......* & *Rota deciſ.* 266. *num.* 11. *par.* 15. *& deciſ.* 210. *num.* 3. *part.* 18. *recent.*

Huius autem generis non ſunt Argumenta in oppoſitum deducta, & quæ ad quatuor tantũ genera reducuntur: quorum primum deſumitur ex qualitate, ſeù natura Pontificiæ conceſſionis ſeù potiùs promiſſionis, ſeù concordati, Secundum ex cauſa motiua, ſeù finali eiuſdem conceſſionis. Tertium ex propria, ac naturali ſignificatione verborum, illorumque contextu, & Quartum ex ſubſequuta obſeruantia exemplis comprobata. Nullum tamen ſubſiſtit, nec exoptatum intentum concludit.

Non quidem primum. Quòd ſcilicèt Indulta huiuſmodi à Sede Apoſtolica elargita Sereniſſimo Duci, & Nationi Sabaudiæ emanauerint ex cauſa præcedentium diſſentionum exortarum intèr Supremos Principes, & Romanam Sedem ſuper reſeruationibus, & diſpoſitionibus Dignitatum Epiſcopalium, & Abbatialium, aliorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, de quibus actum fuit in Concilio Conſtantienſi, & Baſilienſi; Adeoque eadem cenſeri debeant emanaſſe per viam concordatorum, ſicuti cætera alia concordata, ex Sedis Apoſtolicæ placito promanarunt cum alijs Nationibus, ſcilicet Germana, Polona, & Gallica. Siquidem nullum de præambulo tracta-

tu, minùſque de concluſione aſſertorum concordatorum cum Natione Sabaudia affertur documentum, nullumque indicatur Teſtimonium apud Hiſtoricos, aut probatos Authores; ſicuti quamplurima ſuppetunt de concordatis cum Natione Germanica, Polona, & Gallica, cum quibus præuijs pluribus tractatibus verè fuerunt inita, & valdè quidem generale, parumque concludens eſt argumentum exaduerſo deductum, ex eo quod plures Epiſcopi, & non parui Abbates vtriuſque Sabaudiæ, Allobroges ſcilicet, & Pedemontani interuenerint in d. Concilio Baſilienſi, eiuſq; Decreta amplexati fuerint non minùs quàm Germani, & Galli, ibiq; ad Summum Pontificatus Apicem euectus fuerit Amadeus Sabaudiæ Dux ſub nomine Fœlicis V., ſiquidem cum hæc longè anteà dd. Indulta geſta fuerint, & de tempore, quo peſſimum, & deteſtandum ſchiſma peſſundabat Eccleſiam Catholicam, ex actis præcedentis Concilij Baſilienſis, quod Conciiliabulum ſchiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorſus Authoritatis appellat ſubſequuta Oecumenica Synodus Lateranenſis ſub Leone X. celebrata *in ſeſſ.* 11. nullum deſumi valet validum argumentum quod concludat Decreta eiuſdem Baſilienſis Conciliabuli Cauſam præbuiſſe concordatis, ſeu conceſſionibus ad fauorem Nationis Sabaudæ indultis. Nàm vt optimè monet eruditiſſimus *Card. Turrecremat. in Summ. de Eccleſ. lib. 3. cap.* 24. *Cum Concilium Baſilienſe, vt toti Orbi notum eſt, ſcandaloſum fuerit, & in multis præſumptuoſum tranſgrediens terminos, quos poſuerunt Patres Sancti in Concilijs vniuerſalibus, ab illo nullum argumentum ſumendum eſt.*

Potiſſimum cum primum ex dd. Indultis emanauerit à Nicolao V. ſub anno ſalutis 1451. & ſic de tempore quo Catholicæ Eccleſiæ Nauis infeliciter ante aberrans, diuina inſpirante aura delata erat ad tranquillum Portum Romanæ Sedis, & poſtquam ſpontè renunciato Pſeudo Pontificatu per Amadeum Sabaudiæ Ducem, redactiſq; Patribus, & Epiſcopis vtriuſque Sabaudiæ ſub legitimo Jugo Apoſtolicæ Sedis, res erant in perfecto ſtatu tranquillitatis, & ipſe Amadeus ab eodem Nicolao creatus fuerat Apoſtolicæ Sedis Legatus in Patria ſua, vt referunt *Bayl. in ſumma Conciliorum Generalium tom.* 1. *in actis Concilij Baſilienſis fol. mihi* 491. & cæteri alij Hiſtorici paſſim

Neq; aſſumptum contrarium aliquo modo probatur ex Apoſtolicis litteris ipſius Nicolai, quippè quæ in integro earum contextu nullam habent conuentionem de præcedenti mutuo tractatu, nullumq; verbum, quod ſonet in concordatum conuen-

uentionale, & neceſſarium; quinimmò apertè præſeferunt ex mera, & gratuita liberalitate, & ex voluntaria cauſa Amoris, & Beneuolentiæ ergà Sereniſs. Ducem priuilegia huiuſmodi indulta fuiſſe, vt clarè demonſtrat, tùm cauſa proœmialis eiuſdem Indulti deſumpta ex paternæ charitatis affectu, & ex ſollicita Cura, quàm habent Romani Pontifices prouidendi tranquillitati, & paci cuiuslibet Status Catholicorum Principum. Tum ſubſequuta expreſſio liberalitatis, fauoris, & Beneuolentiæ ſpecialis ergà perſonam Ludouici Sabaudiæ Duci tunc regnantis, ibi – *Congruit tamen nos Catholicos Principes nobis, & Apoſtolicæ Sedi deuotos, quo id à nobis ſincerè requiritur, propenſioribus fauoribus proſequi*, & clarius infrà – *Dilectum filium nobilem Virum Ludouicum Ducem Sabaudiæ &c. fauore beneuolentiæ ſpecialis et conſiderationis noſtræ reſpectu proſequi volentes &c.* vt latiùs in noſtro *Summ. n. 1.* & licèt deindè in diſpoſitiua Summus Pontifex adhibuerit verba illa – *hac ſerie certum reddimus, & ſibi promittimus*, cum tamen hæc promiſſio non fuit facta per ſtipulationem, neque præuio tractatu, ſed ex præmiſſa cauſa liberalitatis, & beneuolentiæ, vtque conceſſionem firmiorem redderet, non immutat vtiq; naturam gratiæ, ſeù Priuilegij, neq; eam facit tranſire in aliam ſpeciem concordati, ſed reſoluitur in ſimplicem pollicitationem obſeruandi, & cuſtodiendi gratias conceſſas, quemadmodum apertè ſuadet totus contextus Indulti, & clariùs demonſtrat diſcretiuus, & diuerſus modus, quo idem Nicolaus V. alijq; Romani Pontifices vſi ſunt, quando cum alijs ſupremis Principibus Catholicis concordata ſuper collatione Beneficiorum conuenerunt. Non enim per viam Indulti, nec per verba præſeferentia gratuitam, aut remuneratoriam meritorum conceſſionem, ſed præuio mutuo tractatu ordinationes, & Capitula, ſeù Statuta per vtriuſque Miniſtros concordarunt, ac ſtabiliuerunt, eaque ſic concordata examinari magna maturitate fecerũt per S.R.E. Cardinales, & deinde per Cõſtitutionem Apoſtolicã approbarũt, ratificarũt, laudarũt, & acceptarunt, vt de concordatis Germaniæ initis inter Federicum Imperatorem, Principeſque Germaniæ, ac Legatum Apoſtolicum apparet ex Bulla ipſius Nicolai V. in *Bullar. nou. tom. 1. Inter ſuas, la prima*, ibi – *Nuper ſiquidèm cariſſimus in Chriſto Filius noſter Federicus Romanorum Rex Illuſtris, & nonnulli alij dilecti Filij Eccleſiaſtici, & ſæculares Principes inclitæ Nationis Germanicæ ex vna, & dilectus Filius noſter Ioannes Sancti Angeli Diaconus Cardinalis*

*in partibus illis Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatus per nos*
*ad dictas partes miſſus, ſufficienti deſuper à nobis, & Sede*
*Apoſtolica authoritate ſuffultus ex alia partibus, Romanæ*
*Eccleſiæ, & dictæ Nationis nominibus pro ipſius Eccleſiæ unio-*
*ne, pace, & tranquillitate inter Eccleſiam, & Nationem*
*prædictam perpetuò ſolidandis, & conſeruandis, diuerſa ratio-*
*nabilia, & vtilia, ordinationes, & ſtatuta à Partibus ipſis*
*hinc indè approbata, laudata, & concluſa, acceptata, & con-*
*cordata fuerunt, ac ediderunt &c. Nos itaque, qui ſtatuta,*
*ordinationes, & concordata prædicta per nonnullos ex Venera-*
*bilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali-*
*bus magnarum authoritatis, & litteraturæ Viros diligenter*
*examinari, & diſcuti fecimus, eaque rationabilia, & ſalu-*
*bria tam Eccleſiæ, quàm Nationi præfatæ fore comperimus*
*&c. Apoſtolica authoritate, & ex certa ſcientia approbamus,*
*ratificamus, laudamus, & acceptamus, & præſentis ſcripti*
*patrocinio communimus iuxtà modum, & formam ſubſequen-*
*tes.*

Et in concordatis Galliæ inter ſan. mem. Leonem X., & Franciſ-
cum Regem initis, conſimili ferè modo, proceſſum fuit, vt
teſtatur Bulla Apoſtolica inter impreſſas dicti Leonis X. *la*
*20. Bullar. nou. tom.1. fol. mihi 578. § 5., & 6.*, & ſignanter
*in verſic. In locum dictæ pragmaticæ ſanctionis, ac ſingulorum*
*Capitulorum in ea contentorum infraſcriptas inuicem tracta-*
*tas, & cum Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus diligen-*
*ter examinatas, & de eorum conſilio cum præfato Rege concor-*
*datas per dilectum Filium Rogerium Barnè Aduocatum, Ora-*
*torem ſuum, ad hoc ab eodem Franciſco Rege ad nos deſtina-*
*tum habentem ad hoc ſpeciale, & ſufficiens mandatum &c. ſta-*
*tuimus, & ordinamus, quod de cætero loco dictæ pragmaticæ*
*ſanctionis &c. infraſcriptæ obſeruentur Conſtitutiones &c.*,
& ita pariter ſeruatum fuit in Concordatis Poloniæ, de qui-
bus meminit *P. Thomaſin. de Benefic. part. 2. lib. 1. capit. 45.*
*num. 4. in fine.*

Cum alijs autem Regibus, & Principibus ad debitam obedien-
tiam pronioribus Sedes Apoſtolica nulla inijt Concordata,
ſed ex mera liberalitate, nullaque cogente neceſſitate, Gra-
tias, & Indulta diuerſis quibuſque temporibus elargire con-
ſueuit, vt paulò poſt allegatos Schiſmaticos motus Baſilienſes
Eugenius IV. reſpondens Portugalliæ Regi proteſtatus eſt,
Apoſtolicam Sedem diſponere de Epiſcopatibus, alijſque Be-
neficijs iuxtà Eccleſiæ vtilitatem, non expectato aliquo Re-

gum aſſenſu, & quamuis preces ſibi frequẽter porrigerentur a Regibus Galliæ, Angliæ, & Hiſpaniæ, nihilominùs ait à ſe eis tantùm tribui, quantùm ſineret Apoſtolicæ Sedis Dignitas, & vtilitas Eccleſiarum, ibi - *Supplicant nobis Reges Franciæ, Angliæ, & Hiſpaniæ, cæteriquè pro Prælatorum promotionibus, nobiſque commendant, quos vtiles, & idoneos credunt. Nos exaudimus, quantùm cum Deo poſſumus, & bonore noſtro preces eorum. Vbi verò aliter videtur nobis pro commodo, & bono regimine Eccleſiarum, Reges, & Principes acquieſcunt*, vt refert *Raynald. ad annum* 1439. *num.* 37., *& anno* 1440. *num.* 2. *& Thomaſin. de Benefic. part.* 2. *lib.* 1. *d. capit.* 45. *ſub num.* 3.

Quamobrèm cùm Sabaudiæ Duce Nicolaus V. alijque Pontifices Succeſſores vtpotè cùm Catholico, & Sanctæ Sedi obediente Principe nullam habuerint neceſſitatem iniendi concordata, aut conuentiones, ſicuti cum alijs præmemoratis Nationibus ea inire coacti fuerunt, nullaquè cum eo præceſſerit mutua tractatio, nec ſubſequens Capitulorum conuentio, aut approbatio, euidens vtique redditur, quod Indulta diuerſis temporibus eidem Duci, & Nationi Sabaudiæ elargita, non mereantur nomen Concordatorum, ſeu conuentionum, ſed reputanda ſint mera Priuilegia Gratiæ, & conceſſionis ex liberali Sanctæ Sedis benignitate tributæ, argumento ſumpto à diſcretiuo diſponendi, ſeu procedendi modo cum alijs Nationibus obſeruato, quod eſt in iure validiſſimum *ad Text. in l. vnic.* §. *Vbi autem verſ. Sed & varietatis C. de caduc. tollend.*

Quodque deſuper comprobatur ex ſubſequuta confeſſione, & agnitione ipſarumet Partium, quæ in ſucceſſiuis confirmationibus expetitis, & obtentis à Sede Apoſtolica, dicta Priuilegia nunquam concordata nuncupauerunt, ſed ſemper Indulta, & conceſſiones, & præceteris in Bulla ſan. mem. Leonis X. data *in noſtro Summ. num.* 3., ibi – *Nos igitur, qui præfatum Ducem ſpecialis deuotionis affectu ex viſceribus charitatis proſequimur, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſingulas litteras prædictas, & in eis contenta quæcumque, & quatenùs ſint in vſu omnia, & ſingula Priuilegia, conceſſiones, gratias, & Indulta tam per Romanos Pontifices &c.* Et hæc eadem verba continent Apoſtolicæ Confirmationes ſ.m. Clem. VII., Iulij III., Gregorij XIII., & Clementis VIII., *eodem Summ. à Num.* 4. *& ſeqq.*, & ſaſſus eſt ipſemet Senatus Pedemontanus apud *Ioannem Antonium ab Eccleſia* Ducalem Senatorem, &

Conſiliarium *in obſeruatione forenſ.* 190. *num.* 8. *lib.* 1., vbi hæc ait — *Illud tamen certum eſt, quod Sabaudiæ Duces de Apoſtolica Eccleſia, & Sanctæ Sedis Romanæ culminis ſemper benemeriti ob innumera egregiè geſtorum facinora &c. quamplurimis priuilegijs, & prærogatiuis ab eadem Sancta Sede donati, & decorati fuerunt, & præſertim à Nicolao V. &c.* Quæ quidèm ſubſequuta Indulta ſucceſſorum Pontificum, & confeſſiones Ducum, & Miniſtrorum Sabaudiæ benè declarant naturam, & qualitatem conceſſionum anteceſſoris Pontificis, etiamſi verba eſſent dubia, vt benè obſeruat *Menoch. conſ.* 191. *num.* 48. *lib.* 2., & *Rota dec.* 845. *num.* 51. *cor. Coccin.* cum alijs concordantibus ibidem relatis.

Quibus ſic poſitis mole ſua ruit primum fundamentum DD. Aduerſantium innixum in natura, & qualitate concordatorum, ex qua probare conantur, quod cum illa ſint inita ad conſeruandam pacem, & vnionem inter Supremos Principes, & Sedem Apoſtolicam fauorabilia ſint reputanda, latèque interpretanda, ſeu extendenda de caſu ad caſum, vel de loco ad locum ex identitate rationis. Siquidèm cùm ex prædictis conſtet, quod ſint merè Indulta, ſeu Priuilegia iuxta illorum notiſſimam naturam ſtrictè ſunt intelligenda, & cùm ſint conceſſa Principibus Laicis, vel Regibus ſunt in iure canonico odioſa, & propterea ita veniunt interpretanda, vt quantò minùs fieri valeat derogent Supremæ Poteſtati, ſeu liberæ diſpoſitioni Beneficiorum, quam omni iure habent Summi Pontifices, vt in ſpecialibus terminis *Card. de Luca de Benefic. diſc.* 110. *num.* 9. *in ſupplement.*, & *Rota deciſ.* 84. *num.* 7. & 8. *part.* 2. *coram Caputaquen.*, & *apud Franceſ. var. reſolut. cap.* 16. *num.* 218. & *ſeq.*

Et in indiuiduo Indultorum Sereniſs. Ducis Sabaudiæ *Germon. de Indult. Cardinal.* §. *Per quæ ſublatis num.* 110., & *Rota coram Puteo dec.* 25. *aliàs* 23. *lib.* 2. *in correctis*.

Succedit ſecundum argumentum contrarium deſumptum ex generali ratione, ſeu cauſa finali Pontificiæ conceſſionis, quæ cum fuerit prouidendi ſtatui pacifico, & tranquillo Principum Catholicorum, *& nè Status ſui diſpendia ſubeant, & quæuis ipſos conturbet aduerſitas inteſtina*, vt ſunt verba præciſa Indulti Nicolai V., exindè arguitur, quod cùm hæc eadem ratio æqualiter reſpiciat collationem Epiſcopatuum, & Monaſteriorum Prouinciæ Vltramontanæ, quàm Prouinciæ Pedemontanæ motiuum præbeat extendendi priuilegium ad Abbatias vtriuſque regionis.

Ve-

Verùm enim verò hæc ratio prohœmialis licèt apparenter videatur vniuerſalis, & adaptabilis ad prouiſiones Eccleſiarum, & Monaſteriorum vtriuſque Status, nihilominùs intrinſecè ponderata magis propriè conuenit Regioni Sabaudiæ, quàm Pedemontanæ, Nam illa tanquàm extra Italiæ fines, & vltra Montes poſita, & confines habens cum Nationibus Belligeris, magiſque remota à reſidentia Supremi eius Principis, & a perſonali illius præſidentia maius dubio procùl timere poterat periculum inteſtinæ aduerſitatis à Summo Pontifice præ oculis habitæ, quàm Regia Pedemontana, quæ tanquàm intrà Italiæ fines conſtituta, & finitima Nationibus in otio pacis educatis, necnon ab immediata Supremi Principis aſſiſtentia gubernata longè plus remota erat à probabili metu Ciuilium ſeditionum. Vndè cùm huiuſmodi Indulta certam habeant rationem magis adaptabilem Regioni Sabaudiæ, non poteſt, nec debent extendi ad alias Regiones, quemadmodum reſcripſit ſa. mem. Alexander Pontifex Tertius *in cap. Sanè de priuileg.* ibi — *Temerarium, & indignum eſt aliquem ſibi ſua authoritate præſumere, quod Romana Eccleſia alicui certa ratione inſpecta ſingularibus voluit Beneficijs indulgere, & ibi communiter Canoniſtæ.*

Et quatenùs etiam Ratio prohæmialis, quæ vt plurimum, vel ſemper latius patet, conueniat etiam Regioni Pedemontanæ, adhùc cum diſpoſitiua Indulti ſit reſtricta ad Dominium, ſeù Statum Sabaudiæ, vt infra clarè demonſtrabimus; ea apta non eſt ad extendendam Priuilegij conceſſionem de loco ad locum, vel de vno genere Beneficiorum ad alterum ea ratione, quia agitur de priuilegio, ſeù Indulto Iuris Intentionis, ſiuè conſenſus à Sede Apoſtolica conceſſi Principi Laico ſuper Beneficijs Eccleſiaſticis, quod tanquam exorbitans à Iure communi Sacrorum Canonum, & odioſum non debet, nec poteſt extendi de caſu ad caſum, nec de loco ad locum ex identitate rationis, quinimmò nec etiam ex maioritate, vt apertè ſtatuit vtrumque Ius; Canonicum ſcilicèt *in cap. Porrò 7. & dicto cap. ſanè 9. de Priuileg.*, & Ciuile *in l. quod contra 14. & l. Ius ſingulare, ff. de legibus, & l. ſi verò 64. §. de vir. ff. ſolut. matrim.*, *Gonzalez in d. cap. porrò num. 2. & in dicto cap. ſanè num. 1. & 6. Butr. ibidem num. 1., & Abbas in princip. Suarez de legibus lib. 8. cap. 10., & 11. Salas eodem tractat de legib. diſput. 17. ſect. 6. & 8. Sanchez de matrimon. lib. 8. diſput. 1. num. 38.* cum alijs relatis per Epiſcopum *Roccam Selectar. Iur. diſputat. tom. 1. cap. 76. num. 16. in fine, & Sac. Rota dec. 276.*

 *num.*

*num.*12.*part.* 11. *deciſ.*65. *num.* 2. & 3. *part.* 15. & *deciſ.*134. *num.*3. *part.*18. *recent.*, & *deciſ.*19. *num.*5. *coram Buratto*, & *deciſ.* 154. *num.* 10. & 24. *coram Duran.*, & frequentèr in alijs.

Maiorem autem vim conſtituunt D. D. Aduerſantes in lata, ac generali ſignificatione verborum prioris Indulti ſæpè memorati Nicolai V., in quo cum conceſſio, vt aiunt, indifinitè, & vniuerſalitèr loquatur de quibuſcumque Eccleſijs, & Monaſterijs exiſtentibus infrà diſtrictum Ducis Sabaudiæ; certò arguunt illud complecti cunctas Regiones, & Prouincias dicti Principis imperio ſubiectas, ſed cæteris alijs leuius eſt argumentum, quod à generalitate, ſeù vniuerſalitate ſermonis deducitur; cum nullum verbum adeò vniuerſale reperiatur in diſpoſitionibus, quod ex ſubiecta materia, vel ex præſumpta ratione, vel ex alijs verbis, ſeù circumſtantijs adiunctis non debeat reſtringi ad iuſtum, & rationabilem intellectum, vt inquiunt *Bald. in cap. cauſam quæ num.*6. *de reſcript. Cardin. Mantic. de tacit.*, & *ambiguis conuent. lib.* 5. *tit.* 7. *num.* 31., & *Rota deciſ.* 326. *num.* 4. *part.* 16. *rec.*

In caſu autem propoſito vniuerſalitas verborum reſpiciens omnes, ſeù quaſcumque Eccleſias, & Monaſteria immediatè reſtringitur ex verbis annexis, & ſubſequentibus ibi - *Infra diſtrictum ſui temporalis Dominij conſiſtentium:* diſtrictus autèm temporalis Dominij licèt aliquandò improprie, & per tranſlatum ſignificet omnia loca extrà Prouinciam, & Regnum, in quibus ſupremus aliquis Princeps ius habet diſtringendi, & imperandi, vt de Republica Romana dici conſueuit, quod ſub ſuo diſtrictu totum orbem habebat. Propriè tamèn ſignificat quidquid accedit in ſubiectionem Ciuitatis, ſeù Feudi intrà fines illius, ſeù extrà fines Territorij ſimùl cum Ciuitate principali ſtatutos, vt benè obſeruat exaduersò laudatus *Franciſcus Aretin. conſ.* 77. *numer.* 4. & *Simon. Scard. in Lexicon. Iuris in verb. diſtrictus verſ. vel diſtrictus propriè eſt Dominium.*

Et ſpecialitèr quando reſpicit loca Feudi, quod ſolum comprehendat Territorium, ſeù tractum illum intra fines Feudi, in quo Dominus, vel Princeps Vaſſallos vel Tenentes ſuos diſtringere poteſt benè deducitur *ex lib.* 1. *Feudorum tit.*5. §.4. ibi - *Si quis Feudum intra Curtem detinuerit*, & *Dominus diſtrictum habuerit* - & *lib.* 2. *tit.*54. ibi - *Qui allodium vendiderit*, *diſtrictum*, & *Iuriſdictionem Imperatoris vendere non præſumat* - alijſque exemplis, & Authoritatibus comprobat

*bat Carolus Du Freſnè Dominus de Cangè in gloſſ. ad Scriptores Med.* , *& Inſim. latinitatis tom.* 2. *in eodem verb. diſtrictus*.

Quarè cum Indultum Nicolai directum fuerit Ludouico Duci Sabaudiæ, non autem Ludouico Principi Regionis Pedemontanæ ; verba illa -- *Infra diſtrictum ſui temporalis Dominij* licèt latè pateant, & omnia loca etiàm extrà particulare Territorium Ciuitatis Dominantis dicti Ducatus comprehendant; & quidquid eidem Ducatui in ſubiectionem accedit; non tranſgrediuntur tamèn fines, ſeù terminos extrà Ducatum, nec extendi valent ad Statum Pedemontanum, qui cum proprium ſibi retineat Principatus titulum, ſeù nomen, & proprijs legibus moderetur, ſeù regatur, venire non poteſt ſub nomine diſtrictus temporalis Dominij Ducis Sabaudiæ in Indulto Pontificio à Iure exorbitanti, & Sac. Canonibus odioſo, in cuius interpretatione verba propriè, & ſtrictè ſunt intelligenda, vt vltrà generalitèr ſupra allegatos in noſtris terminis tradunt *Gabriel. conſ.* 195. *num.* 8. *& ſeqq. lib.* 2. *Angel. de Aretio conſ.* 40. *num.* 51. *&* 52. *Menoch. conſ.* 1156. *num.* 67., *& ſeq.*, *& plenè Rota in deciſ.* 316. *num.* 7., *& ſeqq. part.* 9. *recent.*, & in deciſione eiuſdem cauſæ impreſſa apud *Dian. oper. moral. to.* 8. *pag.* 649.

Eoque fortiùs ſi ponderetur virtus, & robur illorum verborum, ſcilicèt *infra diſtrictum ſui temporalis Dominij conſiſtentium*, quæ eſſent incongruè appoſita, ſi iuxtà erroneum ſenſum D.D. Aduerſantium intelligi deberent de tota, & integra Dominatione Sereniſſimi Ducis; Sat enim fuiſſet diſponere de omnibus, & quibuſcumque Eccleſijs, & Monaſterijs totius ſui Status. Dùm ergò Summus Pontifex generalitatem Eccleſiarum, & Monaſteriorum reſtrinxit, ad eas, quæ exiſterent infrà diſtrictum; Neceſſariò dicendum eſt, quod excludere voluerit alias exiſtentes extra diſtrictum ex nota regula, quod incluſio vnius eſt excluſio alterius, de qua *Textus in l. cum* Pretor, *ff. de Iudic. ibique ſcribentes communiter*.

Maximè cum dicta excluſio de alijs Eccleſijs, ſeù Monaſterijs prædicari non valeat, quàm de illis exiſtentibus in Principatu Pedemontano, quæ ſi compræhenderentur, inutilis remaneret implicita excluſio, neque in alijs extra Statum Pedemontanum eſſet verificabilis, & ſuperuacanea deſuper redderetur operatio dictæ dictionis. *Infra diſtrictum*, quæ cum includat tantū loca eiuſdem diſtrictus excludit cætera loca extrà, vel propè ipſum diſtrictum Ducatus ad *Textum in l. prima* §. *cum verbum*

*ff. de*

*ff. de offic. Præſid. vrb. l final. ff. de captiu. l. quero* , *& l. in vendit ff. de act. empt. Gratian. diſcept. 301. nu. 20. & in ſimilib. Rota in d. deciſ. 316. num. 10. part. 9. recent.*

Creſcitque argumenti robur ab expreſſione confinium Sabaudiæ, quæ in eodem Indulto Nicolai legitur occaſione compræhenſionis trium Prioratuum, & vnius Præpoſituræ, quorum collationem Summus Pontifex ſibi reſeruare voluit cum eadem qualitate intentionis habendæ à Domino Duce; Cùm enim hæc Beneficia, vel ſint in confinibus Sabaudiæ, vel à dicto Pontifice expreſſa fuerint tamquam exiſtentia in confinijs Dominiorum ſuprà expreſſorum, ibi-*Qui in confinijs Dominiorum huiuſmodi exiſtunt* jam patet, quod præcedentèr ſub eodem Indulto non intellexerat compræhendere, niſi loca Sabaudiæ, quæ continebãtur intrà fines expreſſos, & per conſequens excludere Regionem Pedemontanam, quæ extrà deſignatos terminos exiſtit ex nota regula, quod confine excludit ex ſe totum illud, quod eſt extrà confinatum ad *Textum in l. cum Seruo ff de contrahend. empt. Bald. in l. fines C. de euict. Hieronym. a Monte de finibus cap. 15. num. 2.*, *& Rota deciſ. 139. num. 18 part. 9. deciſ. 1. num. 15. part. 17. & dec. 326. n. 13, part. 18. recent.*

Agnoſcitur exaduerſo vis huiuſmodi argumenti; Ideoquè euitari conatur ex duobus ſuppoſitis. Alterum ſcilicet, quod Nicolaus in hac ſpeciali prouiſione nihil aliud agere voluerit, niſi à forma priùs in Indulto præſcripta circa prouiſiones, & collationes omnium Beneficiorum, & Dignitatum poſt Pontificales maiorum excipere dictos Prioratus Tallueriarum, Ripaliæ, & Noualitij, ac Præpoſituram Montis Iouis. Alterum autèm, quod Præpoſitura Montis Iouis diſtet vltrà viginti milliaria à Ducatu Sabaudiæ, & conſequentèr ſit extrà fines illius, proùt etiàm Prioratus Noualitij ſit in Principatu Pedemontano Diœceſis Taurinen. Indeque infertur, quod exceptio debet eſſe de regula, alias eſſet deriſoria.

Cùm autèm neutrùm ex præmiſſis ſuppoſitis ſubſiſtat, vel quatenus vtrùmquè ſubſiſteret nil releuet, nec ad intentum contrarium concludat, hinc tanquàm fallax corruit conſequentia contrariæ animaduerſionis; Et ſanè non ſubſiſtit, quod ſa: mem: Nicolaus V. diſpoſuerit de his Prioratibus per viam exceptionis; dùm ſola lectura Indulti apertè demonſtrat de eis diſpoſuiſſe per viam ampliationis, & extenſionis Priuilegij. Cùm enim in prima illius parte conceſſiſſet, quod nemò ſinè intentione, & conſenſu Ducis promoueretur ad Cathedrales,

&

& Monaſteria, & deindè quod Dignitates poſt Pontificalem maiores,& Prioratus conuetuales in diſtrictu præfato exiſtentes non prouiderentur, niſi perſonis idoneis de locis ditionis ipſius Ducis,aut ſibi gratis, vel de alijs locis oriundis, demùm per viam nouæ Orationis inceptiuæ,non autèm continuatiuæ, nec per viam exceptionis, ampliauit Indultum ad ſupradictos tres Prioratus, & vnam Præpoſituram, & voluit quod iſti ſimilitèr non conferantur, niſi de intentione eiuſdem D. Ducis ibi -- *Prætereà Prioratus Tallueriarum &c. nulli conferemus, niſi ſimilitèr priùs ab ipſo Duce eius intentione habita de perſonis, quibus fuerint conferendi*, quæ quidem verba concepta per viam nouæ Orationis, & cum dictione *Prætereà* extendunt mentem concedentis, & actus diſpoſitionem protendunt, & ampliant ad *Textum in §. Prætereà de verb. ſignification.*, *Barboſ. de diction. vſufrequen. diction. 280. num. 2.*, *vbi alios citat.*

Maximè attenta alia dictione *ſimilitèr*, vt ſuprà poſita, quæ cum referat omnimodam ſimilitudinem conceſſionis ſupra enunciatæ, etiàm cum ſuis qualitatibus importat per omnia ità conceſſum hoc Priuilegium in dictis Prioratibus, vt priùs conceſſum fuerat in Cathedralibus, & Abbatijs, & ſic per viam principalis diſpoſitionis, non autèm exceptionis ad *Textum in l. ſi ij qui 26. ff. de donat. cauſ. mort.*, *Gabriel. conſ. 8. num. 8.*, *& conſ. 148. num. 13. vol. 2.*, *Franciſcus à Fonte conſ. 19. num. 6.*, & optimè *Rota deciſ. 2121. num. 24. coràm Coccino.*

Indèque germana hæc intelligentia reddit equiuocam, ac inefficacem coniecturam, quæ exaduerſo deſumitur ex natura exceptionis, quæ non adeſt, & tamèn vbi etiàm per hypotheſim diſpoſitio de dictis Prioratibus concepta eſſet per viam exceptionis; adhùc cum Summus Pontifex eos crediderit poſitos eſſe in confinibus Ducatus Sabaudiæ, vt incontrouertibilitèr reſultat ex verbis illius Indulti, *quæ in confinibus huiuſmodi Dominiorum conſiſtunt*; Hæc ſola credulitas concedentis ſufficit, vt ad interprætationem Indulti haberi debeant prò exiſtentibus in confinio, vtquè præſuppoſita exceptio iudicetur de regula, ideſt de Beneficijs pertinentibus ad dictum Ducatum Sabaudiæ, etiàm ſi alias eſſent de Principatu Pedemontano, cum prò interpetratione cuiuslibet diſpoſitionis non debet attendi quid in rei veritate ſit, ſed qualis fuerit mens, & ſenſus concedentis, illiuſquè credulitas

tametſi

tametſi erronea, ad tradita per *Bonden. collučtat.8. num.53. verſic. quod adeò verum eſt lib.1.*, *& collučtat.49. num.64. tom.2.*, *Rota coràm Gregor. deciſ.265. num.5.*, *& coràm Celſo deciſ.86. num.7.*

Huiuſmodi Nicolai V. conceſſionem limitatiuam Priuilegij ad Eccleſias, & Monaſteria Ducatus Sabaudiæ magis apertè comprobant ſucceſſiua Indulta aliorum Summorum Pontificum, & incipiendo ab illo fæ: mem: Sixti IV., quod ſuperuenit de anno 1474., & ſic 23. annis poſt ſæpèdictum Nicolai Priuilegium. Iſtud ſi cum illo combinetur euidentèr verum demonſtrat noſtrum aſſumptum, & contrarium erroneum conuincit. Indultum enim Nicolai iuxtà ſenſum DD. Aduerſantium in medium profertur tanquàm concordatum intèr Sanctam Sedem Romanam, & Sereniſſimum Ducem, & Nationem Sabaudiæ, in quo hæc omnia conuenta, ſtipulata, & promiſſa exagerantur. Primo ſcilicèt, quod ſinè conſenſu, & intentione Ducis nemò promoueretur ad Eccleſias Metropolitanas Cathedrales, & Dignitates Abbatiales totius ſtatus, ſiuè vtriuſque Prouinciæ, tam Vltromontanæ Sabaudiæ, quàm citrà Montanæ Pedemontis; Secundò quod Dignitates maioris poſt Pontificalem, & Prioratus Conuentuales in omni ditione eiuſdem Ducis conſiſtentes non conferrentur, niſi perſonis idoneis de locis ditionis ipſius Ducis, aut ſibi gratis, vel acceptis de alijs locis oriundis. Tertiò, quod Prioratus Tallueriarum, Ripaliæ, & Noualitij, ac Præpoſitura Montis Iouis nulli prouiderentur, niſi ſimiliter priùs ab ipſo Duce intentione habita de perſonis, quibus eſſent conferendi; & Quartò demùm, quod non concederentur Gratiæ expectatiuæ, & ſpeciales reſeruationes cum quibuſuis prouidendi mandatis, niſi perſonis dumtaxat, quæ locorum eiuſdem ditionis alienigenæ, vel extraneæ non fuerint, niſi fortaſſis eiuſdem Ducis conſenſus alijs perſonis ſuper huiuſmodi Gratijs obtinendis ſuffragaretur.

Hæc autèm tanquàm vera per poſſibilem hyppotheſim conceſſa quoad omnia Beneficia Ducatus Sabaudiæ, & Principatus Pedemontani non conueniunt neque concordant cũ precibus paulò poſt expoſitis Sixto IV. per Duciſſam Yolant Tutricem Philiberti Ducis Sabaudiæ, quæ his verbis fuerunt conceptæ; & relatæ in Indulto Sixtino, nimirùm — *Nobis nupèr exhibita petitio continebat, quod licèt in Ducatu, Diſtrictu, Ditione, Comitatibus, Terris, locis ac alijs Dominijs Sabaudiæ vltrà,* &

*& citrà Montanis, Dominio ipſius Ducis mediatè, & immediatè ſubiectis quamplures perſonæ ex eiuſdem Ducatu, diſtrictu, ditione, & Dominio oriundæ ad Eccleſiaſticas Dignitates, & alia Beneficia Eccleſiaſtica ſæcularia, & cuiuſcunque Ordinis Regularia obtinenda habiles, atquè idoneæ in numero copioſo exiſtant, tamèn quamplures alienigenæ perſonæ ad Beneficia huiuſmodi diuerſis, & exquiſitis vijs aſpirant, & propterea poſtponitur earumdem oriundarum perſonarum promotio, & quampluribus ex eiſdem, cum ipſis alias facultates non ſuppetant ſe in litterarum Studijs exercendi, vt fertur opportunitas, & ipſi alienigenæ in dictis Beneficijs non curant perſonalitèr reſidere, quo ſit, vt Diuinus Cultus diminuatur, & ipſa Beneficia in Spiritualibus, & temporalibus non modica patiantur detrimenta. Quare prò parte dictæ Duciſſæ, nomine quo ſupra nobis fuit humilitèr ſupplicatum, vt in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur*; vt latiùs *in noſtro Summario Num.2.*

Et Summus Pontifex ex cauſis prædictis iuſtis, & rationabilibus tantum motus, nullaquè habita conſideratione ad Sereniſſimam Domum ipſius Philiberti Ducis Sabaudiæ prouidit, ſeù ſtatuit, vt nullus alienigena, ſiuè alterius Nationis, & Dominij Clericus, vel Regularis, qui non eſſet de Ducatu, ditione, vel Dominio huiuſmodi oriundus Beneficis prædicta ſæcularia, vel Regularia quæcunque deinceps vigore litterarum quarumcunq; expectatiuarum acceptare, ſeù obtinere poſſet, *vt in eodem Summario Num.2.*

Si enim Sereniſſima Domus Sabaudiæ cum Nicolao V. anteceſſore Sixti IV. concordatum inijſſet ſuper collatione, & prouiſione omnium Beneficiorum totius ſui Status mediati, & immediati eo modo, quo ſibi fingunt illius DD. Defenſores, qua neceſſitate præmebatur Duciſſa Yolant paucis ab illinc annis ſupplicationes, & preces porrigere Sedi Apoſtolicæ, vt ab ea tanquàm nouum impetraret ex gratia, & ex motiuo pietatis erga Eccleſias, & Subditos, quod prætendere poterat ex Iuſtitia, & vigore præcedentis concordati ſiuè promiſſionis? In Indulto enim Nicolai præcisè continebatur, vt ſupra retulimus, quod gratiæ expectatiuæ non concederentur perſonis alienigenis, vel extraneis, niſi de conſenſu ipſius Ducis. In hoc autèm Statuto, ſeù Ordinatione Sixti hoc idem ſtatuitur, quoad gratias expectatiuas, ſed nullum Ius, nulluſquè conſenſus eidem Duci reſeruatur, nullaquè mentio habetur de dicto aſſerto concordato, ſiuè potiùs Indulto Nicolai, nullaquè

què demùm habetur conſideratio ad prætenſum Ius Ducis, ſiuè conuentionale, ſiuè priuilegiatiuum exaduerſo prætenſum; euidens vtiquè argumentum, quod antecedens Nicolai Indultum ab ipſiſmet Ducibus Sabaudiæ vſquè ab initio conceſſionis habitum non fuerit tanquàm concordatum, ſeù conuentio, aut promiſſio coactiua vniuerſalis, nec extendibilis ad vniuerſum Statum, ſed tanquàm merum, & ſimplex Priuilegium limitatum atquè coarctatum, quoad Beneficia tantum Vltramontanæ Prouinciæ.

Nec releuat ſi dicatur, quod huiuſmodi preces Sedi Apoſtolicæ porrectæ fuerint à Duciſſa Yolant non informata, & inſcia de Iuribus Sereniſſimæ Domus Sabaudiæ. Nàm turpe erit recurrere ad Aſylum ignorantiæ in re adeò graui, & circa tàm fauorabile Indultum Nicolai, quod à modernis defenſoribus D. Ducis exageratur, tanquàm ſolemne concordatum, cui cauſam dederint motus Eccleſiaſticorum, & Principum totius Europæ, nec non Statuta Baſilienſis Concilij, & ſpontanea renunciatio Pontificatus facta ab Amadeo Duce Sabaudiæ; Inuerifimile enim eſt, & humano intellectui ferè imperceptibile, quod vix concordato huiuſmodi Priuilegio, quod prodijt de anno 1451. ſuperuenerit illius inobſeruantia, quodquè Sereniſſimi Duces adeò ſegnes fuerint in tuendo hoc Iure nouitèr acquiſito, & paſſi fuerint, vt beneficia ſui Status conferrentur contra formam Indulti Alienigenis, & extraneis ſibi non gratis, & acceptis, proùt conſuetum fuiſſe refert Duciſſa Yolant in precibus Sixto IV. porrectis de anno 1474., ſicuti inuerifimile eſt, quod ad occurrendum huiuſmodi prouiſionibus, & indemnitati ſubditorum totius Status eadem Duciſſa recurrere voluerit ad præſidium nouæ gratiæ, ſiuè ordinationis Pontificiæ, quando prò tollendo contrario vſu magis expeditum haberet remedium petendi, vel obſeruantiam Indulti Nicolai, vel illius confirmationem, & creſcit ſemper vis argumenti ſi ponderentur duæ aliæ conſimiles petitiones, ſeù ſupplicationes ſucceſſiuè factæ per Carolum Ducem Sabaudiæ de annis 1484., & 1506. ſan:mem: Innocentio VIII., & Iulio Secundo ſuper ſimplici confirmatione Indulti Sixti IV. nulla habita ratione, nec mentione Indulti Nicolai V.

Vt ergo hæc Indulta inter ſe compatiantur, vtquè petitiones Duciſſæ Yolant, & Caroli Ducis Sabaudiæ ſaluentur ab ineptia, ſeù inopportunitate, neceſſario fatendum venit, quod præcedens Nicolai Indultum eſſet limitatum, & reſtrictum ad Beneficia Sabaudiæ, quodquè ſucceſſiua Indulta Sixti IV.,

Inno

Innocentij VIII. & Iulij II. eatenùs impetrata fuerint à Ducibus Sabaudiæ, quatenùs mediante dicto Indulto Nicolai non eſſet conſultum Beneficijs reliqui Status, & Regionis Pedemontanæ, quippè quæ tanquàm in dicto Indulto nequaquàm compræhenſa conferebantur alienigenis, & extraneis per gratias expectatiuas; ideoquè neceſſe fuit à Sede Apoſtolica nouitèr obtinere hoc aliud Indultum, quod ſcilicet gratiæ expectatiuæ non concederentur alienigenis, & extraneis, ſed tantùm oriundis, vel incolis ex dicta ditione, ſuper quibus neceſſe non fuit, mentionem habere de Indulto Nicolai, nequè illius petere confirmationem, cum ea non compræhenderet, vt euidentèr demonſtrant omnes rerum circumſtantiæ ſupra conſideratæ, nec non tenores dictorum Indultorum inſimùl combinati, & diſcretiuus deſuper loquendi modus in vtriſquè adhibitus. Nàm in Indulto Nicolai, vbi diſponitur de Beneficijs verba ſtant reſtrictiuè, & limitatiuè ad diſtrictum temporalis Dominij Ducis Sabaudiæ, cuius tantùm contemplatione litteræ Apoſtolicæ promanarunt vt ſupra plenè demonſtratum fuit. In Indulto autèm Sixti IV. cum Gratia directa ſit ad commodum Subditorum, & Eccleſiarum, ſeù Beneficiorum minorum verba ſunt magis ampla, & perſonas, ſeù Beneficia vtriuſquè Prouinciæ, & totius Status compræhendunt ibi — *Quod licet in Ducatu, diſtrictu, ditione, Comitatibus Terris, locis, ac alijs Dominijs Sabaudiæ vltrà, & citrà Montanis Dominio ipſius Ducis mediatè, ac immediatè ſubiectis &c.* ex qua quidem diſcretiua loquutione Summi Pontificis validum oritur argumentum diuerſitatis vtriuſquè diſpoſitionis; quodquè ſcilicèt in prima conceſſione vbi agitur de Eccleſijs Metropolitanis, Cathedralibus, Monaſterijs, & alijs Beneficijs inferioribus limitata ad diſtrictum temporalis Dominij Ducis Sabaudiæ, non compræhendantur alia Beneficia Status, & Regionis Pedemontanæ, quodquè in ſecunda, vbi tantùm agitur de Beneficijs minoribus, & de gratijs tantùm expectatiuis à Sede Apoſtolica ſuper eis concedendis tanquàm magis lata, & per ampla cõpræhendantur omnia loca totius ditionis, & Dominij, tàm mediati, quàm immediati eiuſdem D. Ducis, argumento ſumpto à diſcretiuo modo concedendi Indulta, & ab vſu Summorum Pontificum concedentium, vt in ſpecialibus terminis Indultorum firmauit Sac. Rota *in deciſ. 85. num. 1. part. 2. coràm Caputaquen. deciſ. 632. num. 10. & 11. coràm Dunozetto Iuniore, & deciſ. 599. num. 9. par. 18. tom. 2. rec.* Huicquè intelligentiæ magis fauent, quàm aduerſantur alia

exad-

exaduerſo exhibita Indulta ſucceſſorum Pontificum, nimirum Leonis X., Clementis VII., Iulij III., Gregorij XIIJ., & Clementis VIII. Quippè quæ ſunt pari modo directa Duci Sabaudiæ, nulla facta mentione Principis Pedemontani, repetita ſemper expreſſione Confinium dicti Ducatus, & præcedentia Apoſtolica Indulta confirmant, tanquàm conceſſa Duci, & Nationi Sabaudiæ, nullibi vnquàm expreſſa, aut enunciata Regione Pedemontana; vndè eo magis declarant præcedentem conceſſionem Nicolai ad Sabaudos reſtrictam, quemadmodùm ex ſola denominatione Regis Hiſpaniarum Sac. Rota Indultum limitauit ad illius Regna, nequè voluit extendi ad Comitatum Barchinonen. ſeù Cathaloniæ, *vt in deciſ.316. n.7. part.9. deciſ.140. num.7. part.14. recent.*, & apud *Dianam part.8. deciſ.9. §. Ex his enim in fine*, & alijs pluribus eiuſdem Cauſæ deciſionibus ſuprà allegatis.

Vindicato itaquè plenario Iure Sedis Apoſtolicæ in Abbatijs, & Eccleſijs Status, ſeù Dominij Pedemontani exaduerſo oppugnato, & excluſo Iure intentionis, ſiuè conſenſus à D. Duce prætenſi, tàm ex natura, & qualitate conceſſionum Pontificiarum, quàm ex cauſa, ſeù ratione finali, nèc non ex proprietate verborum earumdem conceſſionum, facilius eliditur quartum fundamentum contrarium innixum in obſeruantia, & exemplis exaduerſo relatis; Quià tantùm abeſt, quod hæc contraria obſeruantia probetur, vt potiùs ex hac parte vndiquè clara demonſtretur prò excluſione Abbatiarum Regionis Pedemontanæ ex duabus declarationibus ſeriò, & ſolemnitèr à Sede Apoſtolica emiſſis, altera ſcilicèt extraiudiciali, quæ prodijt mediante Organo Cardinalis Aldobrandini Nepotis ſa: mem: Clementis VIII habentis viuæ vocis oraculum *Summ. num.7., & 8.*, & altera Iudiciali, quæ emanauit de anno 1659. à Congregatione Particulari ad hunc effectum ſpecialitèr deputatà à ſa: me: Alexandro VII. ſuperiùs relata, & exequutioni ſucceſſiuè demandata *Summario num.13.* Quibus ſtantibus ſilere debent omnes aſſertæ enunciatiuæ contrariæ à diuerſis perſonis, ſiuè authoribus emiſſæ, cùm in hac materia interpretationis indultorum, ſeù priuilegiorum, ea præualeat interpretatio, quæ promanat à Principe concedente, ſiuè eius ſucceſſore, ea ratione, quià eius eſt interpretari legem, cuius eſt condere, vt decreuit Innocentius III. *in cap. cùm veniſſent 12. de Iudic. ibiquè latè Auguſtin. Barboſ. num.1., & ſeqq., & Fermoſin. num.1., & ſeqq., & num.46.*, vbi plura tradit exempla, *Cyriac. contr.141.*

*n.48.*

*num.48., Surd. conſ.558. num.6., Mantic. de tacit. lib.2. tit.1. num.55., & ſeqq., Manſius conſult.352. num.21., & ſeqq. tom.4, & conſultat.375. num.38., & Rota deciſ.89. num.6. coràm Cardinali Cerro*, vbi quod Priuilegia Apoſtolica interpretari ſpectat ad Sedem Apoſtolicam, & ad eius Tribunalia, *& in deciſ.94. num.13. in fine poſt Merlin. de legit., vbi approbat Peregrinum conſ. 9. num.4., & ſeqq. lib.6. improbantem interpretationes à laicis datas Indulto Apoſtolico.*

Corroboratur hæc obſeruantia interpetratiua ex actibus etiàm poſitiuis, nimirum ex continuatis per ſpatium centum annorum, & vltrà prouiſionibus omnium Abbatiarum in Regione Pedemontana vacantium, nulla habita intentione, ſeù conſenſu D. Ducis, quinimmò perſonarum propoſitione, ſeù commendatione ſempèr reiecta, quotièsex parte D. Ducis fuit tentata, nèc non deſupèr ex collationibus earumdem Abbatiarum indiſtinctè per Sedem Apoſtolicam factis, tàm in ſubditos D. Ducis, quàm in alienigenas, & extraneos, & quandoquè reluctante eodem D. Duce, & deindè acquieſcente, vt latiſſimè, & per documenta vndiquè authentica, iuſtificatur in Facti Informatione, & Summario, cui quidem obſeruantiæ longeuæ, & indiuiduali, adeo venit de Iure deferendum, vt eius interpetratio præferenda ſit cuicunquè intellectui, qui alias verior eſſet, & iuris diſpoſitioni, aut proprietati verborum magis conſonus, vt in terminis Indulti, ſiuè litterarum Apoſtolicarum pluriès firmauit S. Rota, & ſignantèr *in deciſione 632. num.20. coràm Dunoz Iunior. deciſ.165. num.20. coràm ſa: me: Alexandro VIII. deciſ.279. num.7. coràm Royas, & in deciſ.316. num.11., & num.15. part.9., & deciſ.599. n.8. par.18. rec.*, & frequentèr in alijs.

Nequè ea excluditur, aut offuſcatur ex nonullis collationibus Epiſcopatuum dictæ Regionis Pedemontanæ à Sede Apoſtolica, vt præfertur, factis præuia Intentione, ſeù conſenſu Sereniſſimi Ducis, ex quibus cum reſultet obſeruantia nobis contraria in ea parte Indulti Nicolai, in qua agitur de Epiſcopatibus conferendis præuia intentione Ducis Sabaudiæ arguitur obſeruantia quoad reliquas illius partes. Etenìm huic obiecto, quod fortiſſimum exaduerſo appellatur, duplex occurit validiſſima reſponſio; Quarum prima eſt, quod vt obſeruantia interpræt ratiua alicuius Priuilegij, Indulti, ſiue Statuti probetur, & ſuffragetur, neceſſe eſt omninò docere, quod actus, ſeu caſus, qui allegantur, ita ſucceſſerint, ſeu peracti fuerint in vim præcedentis indulti, ſtatuti, ſeu ordinationis, alias ſi ſint indifferentes, voluntarij, & ſine præciſo titulo antece-

tecedenti, obſeruantia non remanet concludenter probata, nec deſeruire poteſt pro interpretatione; Quinimò ad eam excludendam ſufficit poſſibilitas, quod dicti actus euenire potuerint ex alia cauſa, quam ex vi præcedentis Indulti, vel ex alijs poſſibilibus circumſtantijs, vt ad noſtrum propoſitum egregiè docent *Crauet. conſ.* 171. *num.* 14. *&* 15., *Ancharan. conſ.* 339. *col.* 5. *verſ. ad ſecundam rationem*, *Decius conſ.* 402. *ſub num.* 15., *Manſ. conſultat.* 397. *ſub num.* 70. *tom.* 5. *Palm. nepos allegat.* 155. *num.* 20. *&* 21. *tom.* 2., *& Rot. deciſ.* 333. *nu.* 34. *part.* 11. & optimè *in deciſ.* 308. *num.* 11. *par.* 17. *rec.*, vbi aliæ plures concordan.

Vndè cum prouiſiones Epiſcopatuum Prouinciæ Pedemontanæ præuia intentione D. Ducis exaduersò non demonſtrentur porrectæ in vim præcedentium Indultorum, & à Sede Apoſtolica fieri potuerint ex alia diuerſa cauſa, nimirùm vel ex liberalitate, & munificentia ergà Sereniſſimos Duces pro tempore, vel ex præponderantibus qualitatibus, & meritis perſonarum præpoſitarum, vel demùm ex alia cauſa voluntaria, & facultatiua, nulla ex eis inducta dici valet obſeruantia interpretatiua, vt in ſpecie pluribus allegatis authoritatibus firmauit *Rota in d. deciſ.* 308. *num.* 11. *part.* 17. *recent.*

Secunda autem reſponſio eſt, quod nec iſta obſeruantia interpetratiua ſuper collationibus dictarum Eccleſiarum Cathedralium Pedemontanæ Prouinciæ, eſt vniformis ad fauorem prætenſi Iuris, intentionis, ſeù conſenſus; Dùm plures dantur actus in noſtro *Summ. à num.* 35. *& ſeqq.*, in quibus vel Summi Pontifices non acceptarunt prætenſam propoſitionem perſonæ facta declaratione, quod D. Dux tali prærogatiua non polleret, vel omninò deformitèr à Nicolai Indulto ordinarunt, quod à D. Duce tres vel quatuor commendarentur *Summ. num.* 37., *&* 38. Quibus ſtantibus, alijſque ſimilibus ſedulo recenſitis in informatione facti penitùs excluditur obſeruantia interpretatiua, quæ ſemper ceſſat vbi cõcurrunt actus deformes, quinimmo etiamſi vnus tantum adſit actus contrarius *Palma Nepos allegatione* 155. *num.* 20. *tom.* 2. *Bonden. collectat.* 8. *num.* 201. *tom.* 2. *Rota in recent. deciſ.* 562. *num.* 15. *part.* 5. *deciſ.* 316. *num.* 16. *part.* 9. *& deciſ.* 260. *num.* 21. *par.* 13.

Reiectis itaque omnibus contrarijs fundamentis, firma, & inconcuſſa ſtabilitate munita remanent Iura Sanctæ Sedis, ad cuius fauorem propterea reſponderi ſupplicamus.

Quarè &c.

*Carolus de Ferrarijs Aduoc.*

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

# CONGREGATIONE
PARTICVLARI
*A*
SS.MO DOMINO NOSTRO
DEPVTATA.

*Sabaudien. Priuilegiorum.*

PRO

Dataria Apoſtolica.

*Juris D. Cæſarini.*

ROMÆ, M.DC.XCVIII.
Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ.

*SVPERIORVM PERMISSV.*

Digitized by Google

# *Sabaudien. Priuilegiorum.*

*Eme, & Rme Dñe.* Libera collatio Abbatiarum in Principatu Pedemontano exiſtentium diù, & ſub diuerſis Pontificibus à Miniſtris Sereniſſimorum Sabaudiæ Ducum controuerſa, totieſque ad fauorem Sedis Apoſtolicæ deciſa hodiè reuocatur ad trutinam, iterumque impugnatur ſub ſolito clypeo priuilegij ſan.mem. Nicolai Papæ V. Verùm cum iſtud ſit reſtrictum ad Sabaudiæ Ducatum, vt ex infra dicendis patebit, extra illius limites, & ſic ad Principatum Pedemontanum extendi non debet.

Quod autem dictum priuilegium ſit reſtrictum ad Sabaudiæ Ducatum ſatis ſuperque conſtat, ſiuè inſpiciantur verba eiuſdem priuilegij, ſiuè declaratio Clementis VIII. ſiuè illius ſubſecuta, & inconcuſſa obſeruantia, ſiuè denique res iudicata ſub Pontificatu Alex. VII. ſuum effectum ſortita mediante collatione Abbatiarum controuerſarum abſque eo quod vnquam fuerit admiſſus Sereniſſimorum Sabaudiæ Ducum prætenſus conſenſus; Priuilegij enim verba ſunt directa Ludouico Sabaudiæ Duci, qui licèt etiam eſſet Princeps Pedemontanus, alijſque frueretur titulis, ac ſtatibus, vt recognoſci poterit apud *Thomam Blanc Abbregè de l'Hiſtoire de la Royalle maiſon de Sauoye tom. 2. lib. 4. in princip.* non tamen exindè idem priuilegium ad Principatum Pedemontanum, aliaſque ditiones extra limites Sabaudiæ extendi valet, tùm attenta illius natura à Iure communi exorbitanti, atque ideò ſtrictè interprætandum ad *Text. in cap. priuilegium, & cap. odia de regul. Iur. in 6. Ciarlin. contr. forenſ. cap. 159. num. 15. Cyriac. contr. 204. num. 23. Rebuff. ad concordata Franciæ tit. de Regia ad Prælatur. nominatione Verbo in Cathedralibus litt. B. verſ. quodſi aliqua, & in §. Monaſterijs verbo Monaſterijs litt. D. verſ. & in materia odioſa, & litt. E. in fine verſ. & in odioſis, & in verb. Prioratibus verſ. & ſic ratione, & in verbo verè electiuis, verſ. & ſic excluditur, Matta de cauſ. conſiſtorial. ſect. 18. num. 23. & ſeqq. Tamburin. de Iur. Abb. tom. 1. diſp. 7. q. 2. num. 2. in fine cum duobus ſeqq. vbi poſt Renatum Coppinum ait ità fuiſſe reſolutum in Magno Regis Galliæ conſilio, Franceſ. var. reſol. cap. 16. num. 29. & ſeqq. & Rota in Cæſarauguſtana Coadiutariæ Canonicatus 1. Februar. 1640. coram Pancirol. relatam per eundem Franceſ. var. re-*

*ſol. d. cap. 16. num. 219. & coram Verall. deciſ. 84. num. 7.* Tùm & fortiùs quia illud vtpotè conceſſum dicto Sereniſſimo Duci Ludouico reſpectu certi Loci, ſcilicèt Sabaudiæ Ducatus, nulla facta mentione Principatus Pedemontani, extra dictum Ducatum ſuas non poteſt porrigere vires *cap. porrò 7. cap. cum Cappella 16. ibique Abbas num. 2. & 6. idem Abbas in cap. quoniam 21. num. 2. de priuil. cap. priuilegia diſtinct. 3. Solarzan. de Iure Indiar. tom. 2. lib. 1. cap. 28. num. 52. Rota dec. 483. num. 12. par. 14. benè dec. 65. num. 2. part. 15. & dec. 253. num. 2. par. 16. rec.*

Et quod reuera fuerit præfatum priuilegium conceſsum reſpectu Sabaudiæ Ducatus tantùm, patet tàm ex ipſo priuilegio, quàm ex alijs confirmatorijs, in quibus omnibus ſemper habetur mentio *Ducis, & nationis Sabaudiæ*, & numquam nominatur Princeps Pedemontanus, ſeù natio Subalpina, hinc enim ſequitur quod & ſi vtraque Regio fuerit, & ſit ſubiecta Serenisſimis Sabaudiæ Ducibus, tamen dùm iſti Ducalem non obtinent dignitatem in Principatu Pedemontano, in quo denominantur Principes, priuilegium datum Ducibus Sabaudiæ ſuffragari non poteſt Principibus Pedemontanis, vt in terminis priuilegij conceſſi Regibus Hyſpaniarum pro Eccleſijs in illorum Regnis conſiſtentibus, quod illud extendi non poterat ad Eccleſias in Principatu Cathaloniæ exiſtentes ex eo quia Principatus non veniebat ſub denominatione Regnorum firmauit *Rot. deciſ. 316. num. 7. & ſeqq. deciſ. 375. n. 6. & ſeqq. deciſ. 389. num. 2. & 3. par. 9. recent. repetitæ coram Royas deciſ. 279. 281. & 286. coram Celſo deciſ. 7. num. 1., & ſeqq. deciſ. 140. & deciſ. 261. vtrobique num. 4. & ſeqq. p. 14. recent.* & facit traditio *gloſ. & Bald. in l. 3. ff. de offic. Præſid. vbi quod Rex Angliæ in Ducatu Vaſconiæ conſideratur tanquam Comes, non tanquam Rex. Menoch. conſ. 1156. nu. 67. & ſeqq.* vbi quod lex, ſeù decretum factum à Clemente VII. & poſteà renouatum à Petro Aloyſio Farneſio Parmæ Duce non compræhendit Ducatum Placentiæ eidem Principi ſubiectum, *& Gabriel conſ. 195. num. 8. & ſeqq. lib. 2.*

Concluſio enim iſta optima ratione fulcitur, nàm cùm Ducatus Sabaudiæ, & Principatus Pedemontanus ſint inter ſe æquè principalitèr vniti, & vnuſquiſque ex illis propriam Principatus denominationem retineat, proprijſque legibus, ac Tribunalibus, ſeù Senatibus moderetur, vt aduertunt *Sola ad Conſuetud. Sabaudiæ fol. mihi 320. gloſ. 6. num. 1. Io. Anton. ab Eccleſia obſer. 178. num. 5.* exindè ſequitur, quod Principatus

tus Pedemontanus gubernari non debeat cum legibus, & priuilegijs Ducatus Sabaudiæ, etiamſi vterque ſit ſub eodem Principe, vt ex theorica *Bartol. in l. ſi conuenerit §. ſi nuda, ff. de pignorat. act. tradunt Alex. conſ.*114.*num.*19. *lib.*4 *Curt. ſen. conſ.*56.*num.*8.*Cephal. conſ.*414.*num.*34. *Alba conſ.*49.*p.*1. *Brun. conſ.*54.*nu.*6.*Hieronym. à Monte de finib. regend. cap.*3. *num.*5. *Sola ad* Conſuetud. *Sabaud. ſub tit. de feud. par.*1. *gloſ. vna num.*9. *&* 10. *fol. mihi* 91., *vbi de Valle Auguſtæ, & de Comitatu Aſtenſi, Morott. conſ.*30. *in princip. vbi de Marchia* Cæua *Theſaur. lun. in addit. ad Theſ. dec.*177.*litt.D. Io.* Ant. *ab Eccleſia obſeru.*2.*ſub num.*5. *vtrobique de Marchia Salutiarum Salon. de Pace ad ll. Taurin. l. prima recollectio num.* 451. *fol. mihi* 124. *Lancellot.* Gallia *ad* Conſuetud. Alexand. *præfat.*8.*num.* 93.& 94. *Rota d. dec.*316.*num.*9.*par.*9. *& deciſ.* 65.*n.*5.*p* 15.*rec.*

Contra præallegatas Iuris concluſiones duo exaduerſo opponuntur obiecta; Alterum quod deciſiones in Barchinonen. Canonicatus Pænitentiarij, & aliæ auctoritates procedant in diſpoſitionibus particularibus, non autem in hypotheſi, in qua ſupponitur Nicolaum V. proceſſiſſe per viam legis generalis; Alterum verò, quod verba *Duci, & Nationi Sabaudiæ* appoſita in confirmatione Leonis X., & in alijs ſubſequentibus referri debeant ad Priuilegia conceſſa per Reges, & Imperatores non autem ad Indultum Nicolai V., ſed neutrum obiectum ſubſiſtit: non primum, quia Nicolaus V. concedendo præfatum Indultum, non proceſſit per viam legis generalis, vt exaduerſo ſupponitur, ſed tantùm promiſit non conferre Eccleſias Metropolitanas, & Cathedrales, ac Dignitates Abbatiales in Ducatu Sabaudiæ, niſi præuijs intentione, & conſenſu ipſius Ducis, atque ideò cum hæc ſit particularis diſpoſitio quoad certa beneficia reſtricta ad Sabaudiæ Ducatum perperã extendi prætenditur per viam legis generalis ad Principatum Pedemontanum, vndè corruente ſuppoſito, corruit etiam conſequentia ex illo deducta, & optimè applicantur prædictæ deciſiones, & aliæ auctoritates ſupra allegatæ. Nec iſtis aduerſantur *Vitalin. in Clement. Archiepiſcopo num.*47. *&* 48. *de priuileg. Mantic. deciſ.*59. *Barboſ. de appellat. appellat.*115. *num.*4. *&* 5. *& Card. de Luca de benefic. diſc.*29. *num.*13. *exaduerſo allegati*, quia eorum dicta intelligi debent de Prouincijs non æquè principalitèr vnitis, ſed acceſſoriè, vt confutando eaſdem auctoritates dixit *Rota di-*

*ſta deciſ.316. num.7. & ſeqq. part.9.* vbi *ſub num.10. magis præciſè reſpondetur deciſioni 59. Mantic.* quæ *reſponſio* æquè ſuffragatur contra *Barboſ.* in ea ſe fundantem, ad *Card.* verò *de Luca* deducentem idem motiuum ſupra exaduerſo laudatum recurrit reſponſio ibi adducta, & vlteriùs ejus auctoritàs in hoc caſu non videtur attendenda, dùm contra ejus ſenſum reſpondit *Rota in deciſ.140. & 261. vtrobique num.4. & ſeqq. part.14. recent.*

Minùs ſubſiſtit ſecundum quod illa verba *Duci, & Nationi Sabaudiæ* referri debeant ad Priuilegia conceſſa per Reges, & Imperatores, non autem ad Indultum Nicolai V., quia dicta verba vti appoſita in vna, & eadem ratione, ac in eodem contextu, in quo Summus Pontifex loquutus fuit tàm de Indultis Pontificijs, & ſignantèr de illo Nicolai V. quàm de alijs Priuilegijs conceſſis a Regibus, & Imperatoribus diuerſa ſignificatione interpræctari non debent *argum l. eum qui ædes ff. de vſucap. cap. cognouimus 29. cauſ.12. quæſt.2. cap. quia circa 22. de priu. Surd. conſ.152. num.39. Becc. conſ.53. nu.3. verſ. nam reſpondetur, & conſ.112. num.22. verſ. & maximè Rota coràm Merlino deciſ.390. num.20.* ſed verba illa ad omnia ſupra expreſſa referri debent; Præcipuè quia in ea parte Indulti, in qua Leo X. refert preces Caroli Ducis ſupplicantis pro confirmatione Indultorum, & Priuilegiorum Duci, & Nationi Sabaudiæ conceſſorum nulla fit mentio de Regibus, & Imperatoribus ibi — *ſingulis litteris prædictis ( hoc eſt Nicolai V., & aliorum Pontificum ) ac omnibus, & ſingulis alijs priuilegijs, conceſſionibus, gratijs, & indultis Duci, & Nationi Sabaudiæ conceſſis pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur noſtræ approbationis &c.* ſignum euidens, quod non ſola Regum Priuilegia, ſed etiam Indulta Pontificia ſupra relata erant reſtricta ad Ducem, & Nationem Sabaudiæ, cum cæteroquin nulla ſit aſſignabilis ratio diſparitatis, quare conceſſiones a Regibus factas voluerit ad Ducem, & Nationem Sabaudiæ reſtringere, ſi Pontificia Indulta ibi per extenſum relata vtrumque Statum, & vtramque Nationem compræhendebant.

Nec iuuat replicare, quod ſecundum communem vſum loquendi ſub nomine Nationis Sabaudiæ veniant etiam Pedemontani, alijque Subditi Sereniſſimorum Sabaudiæ Ducum; Quoniam quicquid ſit in materijs indifferentibus, hoc tamen procedere non poteſt in Principatibus æquè principalitèr vnitis,

proũt ſunt Ducatus Sabaudiæ, & Principatus Pedemontanus ex ſupra firmatis, hoc namq;caſu conſiderari debent Prouinciæ, & Nationes vti inter ſe diſtinctæ præcipuè in priuilegio à Iure communi exorbitanti, in quo verba æquiuoca, & dubia ſunt interpretanda eo ſenſu, quo minùs qui loquitur obligetur, & ejus Indemnitati fauorabiliùs conſultum ſit *l. ſi quid venditor 18. ff. de ædil. edict. l. cum quæritur 27. ff. de reb. dub. Crauet. conſ. 9. num. 23. Mandel. conſ. 379. n. 9. Surd. conſ. 321. n. 9. Rot. poſt Cenc. de cenſ. deciſ. 217. nu. 9. & 10. & deciſ. 169. n. 24. & ſeq. coràm ſ. m. Alexandro VIII.*

Et ſanè de plano prædicta procedunt animaduertendo, quod tàm Summi Pontifices in alijs priuilegijs Sereniſſimis Sabaudiæ Ducibus conceſſis, quàm ipſi Duces in eorum legibus particularibus promulgatis quotieſcumque voluerunt Principatum Subalpinum compræhendere, illum expreſsè, ac ſpecificè conſueuerunt nominare, vt ex Conſtitutionibus Pontificijs relatis in facto §. *octauò* objicitur, & ex Conſtitutionibus Sabaudiæ Ducum impreſſis *poſt Solam ad conſuetud. Sabaud. & poſt obſeruat. Jo: Ant. ab Eccleſia*, ex quo validiſſimũ inſurgit argumentum, quod dùm Nicolaus V. huiuſmodi priulegium direxit tantummodò Duci Sabaudiæ, idemque ſeruauerint alij Pontifices ſucceſſores in illius confirmatione, inſurgit in quam validiſſimum argumentum, quod Summi Pontifices illud voluerint intrà limites Sabaudiæ reſtrictum, vt in proximis terminis Regis Hyſpaniarum, à quo vbi aliquid præcipitur de his, quæ ad Dominium Mediolanenſe ſpectant poſt nomen Regis inſcribitur Dux Mediolani notat *Lancellot. Gallia ad Conſuetud. Alexandriæ præfat. 8. ſub num. 94. Ripa in 15. reſp. num. 6. tit. de Iure gent. Rota deciſ. 45. & deciſ. 347. vtrobique num. 2. coràm Puteo, deciſ. 1582. num. 14. coràm Pænia, deciſ. 286. num. 5. & 6. coràm Royas deciſ. 7. nu. 5. coràm Celſ. & deciſ. 40. num. 7. part. 14. recent.*

Talemque fuiſſe voluntatem Nicolai V. & aliorum Summorum Pontificum, qui idem Priuilegium confirmarunt magis apertè conuincitur ex deſignatione confinium in eodem priuilegio facta ibi — *Prætereà Prioratus Tallueriarum, Ripaliæ, & Noualiciæ, ac Præpoſituram Montis Iouis, qui in confinibus dominiorum huiuſmodi conſiſtunt* — licèt enim priùs Summus Pontifex loquutus fuiſſet generaliter de Eccleſijs, & Monaſterijs infra diſtrictum temporalis Dominij eiuſdem Ducis, tamen cum verbis poſtea enunciatis apertè declarauit priuile-

legium voluiſſe reſtringere ad confinia Sabaudiæ, nàm ex Tabulis Geograficis apparet, quod Ripalia eſt in confinis Sabadiæ verſus lacum Gebennenſem, Taloeria non longè ab Anneſiaco, Noualeſia duabus tantum Leucis diſtat à confinijs Sabaudię verſus Pedemontem, vt tradũt *Jo: Jacobus Hofmannus in ſuo Lexicon Hiſtorico, & Geogr. ſub verbo Noualicia to. 2. f. mihi 36. Baudran. in alio ſimili Lexicon Geographico eodem verb. Noualicia fol. mihi 474.* & Mons Iouis nuncupat. il piccolo San Bernardo, ſeù Alpes Graiæ teſte *Pingonio* Sabaudos à Salaſſis, ſiue à Valle Auguſtana diſcludunt, vt refert idem *Hoſmannus ſub verb. Alpes Graiæ tom. 1. fol mihi* 87. & quatenus Mons Iouis ſit *le grand. S. Bernard* proũt innuitur ex *Baudran. ſub verb. Greæ Alpes fol. mihi 293.* adhùc iſte diuidit Allobroges, hoc eſt Sabaudos à *Principatu Pedemontano teſte Hofmanno ſub verbo Alpes Pæninæ d. fol. 87. tom.* 1. prædictis enim Tabulis, & Hiſtoricis Geographicis in hac materia ad eorum ſcientiam pertinente plena fides ſolet adhiberi, vt firmauit *Rota in Papien. fructuum 15. Januarij 1638. §. ſupradictis accedunt coràm bo. mem. Ghislerio, in Leodien. Iuriſdictionis 23. Januarij 1697. §. Sextò coràm bo. mem. Emerix,* & plenè ac pluribus alijs cumulatis *in nullius, ſeù Senogallien. bonorum 13. Maij 1697. §. 26. coràm R. P. D. Muto.*

Vndè conſtito ex his, quod huiuſmodi Prioratus ſint in confinijs Sabaudiæ in conſequentiam venit, quod Nicolaus V. Cum illis verbis infra *diſtrictum ſui temporalis Dominij* voluerit dumtaxàt intelligere de Diſtrictu Dominij temporalis Sabaudiæ, ſiuè aliorum Dominiorum intra eamdem Sabaudiam exiſtentium, dùm poſtea cum quatuor Prioratibus ſupra expreſſis, & præcipuè cum Prioratu Noualiciæ, & Præpoſitura Montis Iouis exiſtentibus in Principatu Pedemontano, ſed in confinibus Sabaudiæ aſſignauit pro confine ipſum Principatum Pedentanum qui proindè dici non valet comprehenſus ſub Sabaudiæ Ducatu ex Iuris concluſione à Doctoribus communitèr recepta, quod terminus terminatus non poteſt eſſe idem cum termino terminante DD. *in l. cum ſervo ad fin. ff. de contrahen. empt. Bald. in l. fines agri, ff. de euict. & conſ. 422. lib. 4. Caſtrenſ. in l. hoc Iure num. 24. ff. de juſt. & Iur. Decian. conſ. 40. num. 27. lib. 4. Cacheran. conſ. 34. num. 4. & 7. Hieron. à Mont. de fin. cap. 15. num. 2. & ſeqq. & cap. 107. num. 4. Rot. coràm Merlin deciſ. 600. num. 7. & 8. & deciſ. 635. num. 3. & 4. coràm Ottbobon. deciſ. 102. num. 11. coràm Bich.*

*dec.*

*deciſ.112.num.19.& in rec.deciſ.229.nu.12. & 13.& dec.520. num.74.& 75.part.14. & deciſ.166.num.19.part.15.*

Alioquin abſurda, & nimis inepta fuiſſet expreſſio confinium Noualiciæ, & Montis Iouis, ſi ſub talis dominij appellatione, Ducatus Sabaudiæ identificaretur cum Principatu Pedemontano, & dum huiuſmodi Prioratus exiſtunt in medio vtriuſque Regionis ſi Papa in eodem Priuilegio etiam Principatum Pedemontanum voluiſſet compræhendere vtique, non dixiſſet præfatos Prioratus conſiſtere in confinijs Dominiorum huiuſmodi, ſed in illorum medio, ideoque ad euitandum hoc intolerabile abſurdum omninò dicendum eſt, priuilegium fuiſſe reſtrictum ad Ducatum Sabaudiæ, vt in proximis terminis dixit *Rota coràm Merlino d. deciſ. 600. num.9. & d. deciſ. 520. num.76. par.14. rec.*

Præfulgentem huius veritatis lucem non minuit obiectio, quod poſtquam Nicolaus V. in ſecunda parte Bullæ reſeruauit ſibi facultatem conferendi Prioratus Conuentuales, & Dignitates maiores poſt Pontificales, excepit Prioratum Noualiciæ, & Præpoſituram Montis Iouis exiſtentes in Pedemonte, ex quo inferri prætenditur, quod hæc exceptio Prioratuū Pedemontis cum debeat eſſe de regula demonſtret, quod Pontifex pro regula ſibi reſeruauit collationem Prioratuum totius Status, & Dominij D. Ducis, ac per conſequens ſicuti hæc pars Indulti compræhendit Prioratus totius Status, ità & prima pars continere debeat Abbatias totius pariter Dominij.

Etenim ipſa lectura Indulti deſtruit argumentum hoc exaduerſo inductum, in illo namque tres diſpoſitiones continentur, in prima enim Summus Pontifex promittit neminem præficere ad Cathedralium, & Abbatiarum regimina niſi habitis prius intentione, & conſenſu ipſius Ducis; In ſecunda verò diſponit, quod non prouidebit Dignitates poſt Pontificales maiores, ac Prioratus Conuentuales Sedi Apoſtolicæ generaliter reſeruatos in *Diſtrictu præfato* niſi de perſonis idoneis, & quæ fuerint de locis Ditionis ipſius Ducis, aut ſibi gratæ, vel acceptæ de alijs locis oriundę; In tertio dicit-- *Propterea Prioratus Tallueriarum, Ripaliæ, & Noualitij, ac Præpoſituram Montis Iouis, quæ in Confinibus huiuſmodi Dominiorum conſiſtunt ſi, & cum illos vacare contigerit, nulli conferemus, niſi ſimiliter prius ab ipſo Duce, eius intentione habita de perſonis, quibus fuerint conferendi.*

His igitur tribus diſpoſitionibus attentè, ac ſeparatè perpenſis facilè erit recognoſcere fallaciam contrarij argumenti, &

quam

quam prorſus extranea ſit concluſio, quod exceptio ſit de regula, dum Nicolaus V. in tertia parte præfatæ diſpoſitionis non diſpoſuit de quatuor Prioratibus per viam exceptionis, vt exaduerſo ſupponitur; Sed connectendo primam, & tertiam partem Indulti proceſſit per viam extenſionis, & ampliationis, vt denotat illa dictio *Prærterea*, quæ de ſui natura extendit actum diſpoſitionis ad alia in antecedentibus non compræhenſa, vt tradunt *Grat. conſ. 163. num. 40. & Franc. Molin. de brach. Secul. cap. 3. num. 12.*, & in hoc ſenſu eædem tres diſpoſitiones fuerunt acceptæ per *Cardinalem Oſſat. in ſua epiſtola* 301. *relata in facto*, §. *Sed tota*, nec aliter accipi poſſunt, dum quælibet ex dictis tribus partibus ſtat de per ſe, & continet diuerſam, ac ſeparatam diſpoſitionem, atque ideo dici non poteſt, quod vna ſit exceptiua alterius, vt in proximis terminis firmauit R*ota in Romana Beneficiatus S. Ioannis in Laterano* 16. *Iunij* 1670. §. *Et comprobatur coram Bonilacqua confirmata* 30. *Ianuarij* 1671. *vt in deciſ.33. num.6., & ſeqq. p.17. recent.*

Certius hoc comprobatur ex lectura dictæ ſecundæ partis præfatæ diſpoſitionis; in ea enim Summus Pontifex dicit; quod non prouidebit Dignitates poſt Pontificales maiores, & Prioratus Conuentuales Sedi Apoſtolicæ generaliter reſeruatos in *Diſtrictu præfato, niſi &c.* huiuſmodi enim verbum *Diſtrictus* prolatum in principio Indulti, ex ſupra firmatis, & ex infra dicendis intelligi debet de Diſtrictu Sabaudiæ tantùm; Unde illius repetitio in hac ſecunda parte cum illa dictione *præfato*, quæ tantum importat, quantum dictio *prædicto* ex *Barboſ. dict.276. num.2.* operatur, vt cenſeantur repetitæ omnes qualitates præcedentis diſpoſitionis, & ad illas diſpoſitio reſtringatur *Cephal. conſ.259. num.1. Menoch. conſ.303. nu. 23. Barboſ. d. dict.276. num.6. & 7. Rot. coram Coccin. dec.1086. num.5 & duobus ſeqq. & in recent. deciſ.272. num.7. par.6.*

Præterea admiſſo (citra veri præiudicium) quod tertia pars Indulti accipienda ſit in ſenſu exceptionis, & quod ſecunda firmet regulam, adhuc partis argumentum poſſet fortaſſe habere locum, vbi nulli eſſent deſignati confines, at cum ipſamet exceptio quatuor Prioratuum afferat in ventre Confinium deſignationem, & ſic reſtrictionem ad dominia per prædictos confines terminata, imperceptibile eſt quomodo valeat extendere regulam vltra dictos Confines expreſſos, ſed omnino dicendum eſt, quod retenta propria natura Confinium regulam quoque intra eoſdem limites coarctet vt pro-

bat

bat *Text. in l. quod liquidæ 4. §. Si cui penus ff. de penu legata vbi ſancitur, quod ſi quis legauerit omnem penum præter vinum, quod Romæ erit, ſola penus, quæ Romę eſt, legata videtur*, & ratio eſt, quod cum exceptio vini debeat eſſe de regula, & excipiatur vinum, quod Romæ eſt, inde ſequitur ipſam regulam, ideſt legatum penoris ad id, quod Romæ exiſtit, reſtringendum eſſe ratione qualitatis ipſius exceptionis ex qua regula ipſa reſtringitur. *Alberic. in dicto §. Si cui penus à num. 2. cum tribus ſeqq. Felin. in cap. quoniam frequenter num. primo, & ſeqq. Vt lite non conteſtata vbi allegat Imola in l. filio præterito 17. num. 25. & 26. ff. de Iniuſt. nupt. & irrit. teſtam. Mantic. de coniect. lib. 9. tit. 3. nu. 13.*

Quodque dictum priuilegium, eiuſque ſucceſsiuè Confirmationes fuerint ad Ducatum Sabaudiæ tantum reſtrictè euincitur etiam ex declaratione facta à Clemente VIII. quippè ſequuta vacatione Abbatiæ de Caramagna, ac prætendentibus Sereniſsimi Ducis Miniſtris, quod Papa teneretur illam conferre iuxtà ipſius Ducis intentionem, & conſenſum, idem Pontifex licèt paulò priùs huiuſmodi priuilegia in ampliori forma confirmauiſſet, adhuc tamen mediante Epiſtola Nuntio Taurinen. ſcripta à Cardinale Aldobrandino eius ſecundum carnem Nepote, ſtatuſque Eccleſiaſtici Generali ſuperintendente declarauit præfata priuilegia non compræhendere beneficia in Principatu Pedemontano exiſtentia, vt in noſtro *Summario num.* 8. & de facto eandem Abbatiam abſque conſenſu Ducis contulit Cardinali S. Georgio, vndè hac declaratione attenta cum facto ſubſequuto non videtur quærenda alia interprætatio, cum priuilegij declaratio ad neminem alium magis ſpectet quam ad ipſum concedentem, vel eius ſucceſſores *cap. cum veniſſent ibique communiter ſcribentes, & in ſpecie Abbas num. 1. & 3. de Iudic.* vbi quod ſolus Papa, vel eius delegati priuilegia Sedis Apoſtolicæ dubia interprætantur *Fagnan. in cap. olim num. 34. de verbor. ſignificat. Ruin. conſ. 208. nu. 8. vol. primo Burſat. conſ. 345. num. 22. Altograd. conſ. 82. num. 51. tom. 2. bene Cyriac. contr. 297. num. 51. & melius Caſtil. quotid. contr. tom. 6. cap. 186. à num. primo & per tot Solarzan. de Iur. indar. lib. 2. cap. primo nu. 34. tom. 2. cum cæteris allegatis per Bonden. collect. 37. nu. 46. & quatuor ſeqq. tom. 2. Rot. coram Seraphin. deciſ. 892. num. 3. & deciſ. 101. num. 21. par. 10. recent.* ideoque aliter iudicari non debet contra expreſſam Summi Pontificis declarationem, quæ

præceptiuam legem præſefert, ac parendi neceſsitatem impo-
nit *cap. ſi Papa* §. *Si autem Eccleſia & ſeq. ibique gloſſ. in verb. aſſerat de priuil. in 6. Clement. litteris de probat. Butr. in cap. nam concupiſcentiam num. 16. verſ. ſi ſonant in præceptum ibiq; Imol. ſub num. 9. verſ. verbum tamen decernimus & alij extr. de Conſtit. Bim. conſ. 101. num. 23. Iacob. Gall. conſ. 128. num. 41. Giurb. conſ. 65. num. 34. verſ. & legis declaratiuæ, & pluribus congeſtis Bonden. dicta collect. 37. numer. 104. & ſeqq. tomo 2. Rota poſt. contr. diſcept. deciſ. 58. ſub num. 8. & dicta deciſ. 101. num. 21. & 22. & deciſ. 291. num. 21. par. 10. rec.*

Nec in dubium reuocari valet, quod Cardinalis Aldobrandinus præfatam Epiſtolam non ſcripſerit de ordine ipſius Papæ in ea parte in qua declaratur, quod priuilegia confirmata non comprehendebant beneficia in ſtatu Pedemontano exiſtentia, vt innui prætenditur ex illis verbis ibi - *mà ſappia V. S. che ſe bene i priuilegij &c.* nam præterquam quod verba præcedentia contrarium manifeſtè produnt ibi - *Auendo io datò parte à Noſtro Signore del ragionamento tenuto dà lei con li miniſtri del Signor Duca in propoſito dell'Abbadia di Caramagna* in hypotheſi ceſſare videtur quæcumque difficultas ex animaduerſione, quod in adeò qualificato Miniſtro extra queſtionem erat viuæ vocis oraculum generale, *vt notat Cardinalis de Luca in relat. Curiæ Roman. diſc. 6. numer. 9.* idcircò eius ſummum Miniſteriū operatur, vt illius ſcientia habeatur pro ſcientia Papæ *Valenzuol. con. 4. num. 127. tom. primo Bonden. dicta collect. 37. num. 101. Rota deciſ. 794. num. 1. parte 1. diuerſ.* & eius Epiſtolæ, ac dicta habeantur tanquam ſi eſſent ſcriptæ, & reſpectiuè probata ab ipſo Summo Pontifice, ac proindè illis ſpectatiſsimam fidem eſſe adhibendam dixerunt *Alex. Raudenſ. reſp. 17. a num. 159. lib. primo Pariſ. conſ. 132. num. 20. lib. 4. Valenz. dicto conſ. 4. num. 102. Card. de Luca de benefic. diſc. 73. num. 4. Genua de ſcript. priuat. lib. 3. tit. de literis Apoſtolicis num. 9. fol. mihi 179. Rota coram Cæſar. de Graſs. dec. prim. nu. 9. de præben. coram Merlin. deciſ. 129. num. 3. in rec. deciſ. 90. num. 5. par. 9. & deciſ. 256. num. 7. par. 15. & in Romana, ſeu Bononien. protectionis 20. Aprilis 1671. ſub* §. *Clarius coram bo. mem. Albergato.*

Hæc per ſe clara indubitata redduntur ex duplici ipſius priuilegij obſeruantia ſubſecuta, negatiua ſcilicet, & affirmatiua, negatiua autem reſultat ex quo poſt emanatam dictum priuilegium, ac ſucceſſiuas confirmationes nec vnicqs exaduerſo

datur

datur actus collationis huiuſmodi Abbatiarum præuio conſenſu ſeù intentione Sereniſsimorum Sabaudiæ Ducum, nec aliquod datur documentum, quod iuſtificare poſsit talem conſenſum fuiſſe à Sede Apoſtolica admiſſum: Nulla enim illius expreſſio in ſupplicationibus Papæ porrectis, aut in literis Apoſtolicis deſuper expeditis, nullæ exhibentur Ducum pro tempore exiſtentium literæ patentes, non propria regeſtra, in quibus ſint deſcripti huiuſmodi conſenſus, nec vllà datur Epiſtola familiaris huiuſmodi conſenſus ſignificatiua; Principes autem omnes quoquo modo ius habeant ad Monaſteria, ſiuè per viam præſentationis, & nominationis, ſiuè per viam ſupplicationis in prouiſionibus Apoſtolicis tale ius ſemper exprimi curarunt. Quinimò S.R.E. Cardinalis in Vrbe præſentes, qui vigore regularum Cancellariæ emanatarum longè antè priuilegium Nicolai V. ius habent præſtandi conſenſum in beneficijs vacantibus per obitum eorum familiarum in dorſo ſupplicationis, quæ Summò Pontifici porrigitur, eorum conſenſum exprimere ſolent iuxtà praxim omnibus notam, vndè imperceptibile eſt, quod ſoli Pedemontani Principis Miniſtri hoc ius neglexerint ſi verè antè prouiſiones præſtitus fuiſſet conſenſus de quo abſque dubio aut in prouiſionibus Apoſtolicis, aut in eorum Archiuijs extarent iuſtificationes *Rota deciſ.266.num.*18. *& ſeq. par. 18. recent.* Vndè dum de illo non conſtat optima deſumitur Summorum Pontificum, & Sereniſſimorum Ducum interpretatiua voluntas non comprehendendi in dicto priuilegio Principatum Pedemontanum, cum illa æquè bene eliciatur ex non facto, non ſecus, ac ex facto vt tradunt *Natt.conſ. 406. num. 25. & ſeqq. Menoch.conſ.276.num.19. Spad.conſ.54.num. 38. lib. 1. & conſ.94.num.7.& 8. lib. 2. & in ſpecie Rot. deciſ. 389. num. 16.& 17. par.9. deciſ.520.num.14.& 15.par.13.deciſ. 654. nu. 8. par.18. recentior. & deciſ. 660. num. 17. & 18. coram Bichio.*

Affirmatiua verò obſeruantia in noſtra hypotheſi ponit falcem ad radices, & reddit quæſtionem de dubitabili indubitabilem, ſiquidem ex parte Datariæ concludentiſsimè iuſtificatur, quod quoties euenit controuerſarum Abbatiarum vacatio, toties Sedes Apoſtolica illas liberè contulit, & quod magis vrget, pluries contra expreſſam intentionem, & conſenſum per Sereniſsimos Sabaudiæ Duces præſtitum, vt *in Summario num.10.11, & 12.& à num.24.ad* 31. quæ proindè obſer-

uantia vti omnium interpratationum Regina operatur vt priuilegium, & illius confirmationes intelligi debeant prout fuerunt obſeruatæ etiamſi contrariis intellectus eſſet de Iure verior *Rota deciſ.316.num.11.& ſeqq.deciſ.375.num.9.& 10. & deciſ.389.num.14.& ſeqq.par.9.dicta deciſ.520.num.9.& ſeqq.par.13.deciſ.140.num.8.par.14.deciſ.65.num.12.& ſeqq. & deciſ.266.ſub num.2.& ſeqq.& num.18.& ſeqq.parte 15. deciſ.253.num.8.& 9.par.16.& deciſ.212.num.7.par.17.rec. & coram Dunozz.Iun.deciſ.966.num.17.* Quin etiamſi intellectus datus pro obſeruantia eſſet malus *Rota deciſ.256. num.5. & 6.par.2.diuerſ.dicta decis.375.ſub num.14.par. 9. & dicta deciſ.520.num. 12.par.13.* & imò etiamſi opus eſſet aliquam vim inferre verbis *Spada dicto conſ.54.num.37.lib.primo Rota dicta deciſ. 520.num. 12.par.13. rec.* & non eſſe attendendum priuilegium, ſed eius vſum, & acquiſitionem poſſeſſionis ſiuè qualiter quis eo vſus fuerit notant *Fælin. in cap. cum accesſiſſent num.22.de Conſtit. ibique Barboſ.num.5. Caſtill.quotid. contr.tom 1.cap.19.num.6.& 7.& cap.33.num.27.cum cæteris allegatis per Maſtrill.deciſ.96.num.3.*

Efficacia huiuſmodi obſeruantiæ magis incaleſcit ex notabili circumſtantia relata in facto. Nam cum vacaſſet Abbatia S.Saluatoris in Diœceſi Taurinen. menſe nondum elapſo à die quod priuilegia fuerunt à Clemente VIII. confirmata, idem Pontifex de illa liberè, & contra intentionem, & conſenſum Ducis prouidit Cardinalem Pepulum, vt in *Summ.nu.5.& 6.* & ſucceſſiuè poſt quatuor annos aliam ſimili modo contulit Card. Aldobrandino *d. Summ.num.7.* hinc enim ſequitur explicita voluntas illius Pontificis priuilegia confirmantis non compræhendendi in illis Abbatias extra ditionem Sabaudiæ, & huiuſmodi actus vti proximi eiſdem priuilegijs mirificè declarant, quid in illis fuerit compræhenſum, quæ obſeruantia ſemel inducta, etiamſi darentur actus ſubſecuti à priuilegio remoti, adhuc illa deſtructa non remaneret ad *Tex. in l. mela § 4.verſ. Sed ſi alimenta ff.de aliment.& cibar.legat. Adden.ad Gregor. deciſ.325. num.26. Rota d.deciſ. 966.ſub num.17.coram Dunozz.Iunior deciſ.279.num.12.coram Royas deciſ.26. num.14.& 15.coram ſan.mem.Alex.VIII. deciſ. 170.num.4. par.2.& deciſ.266.num 21.& 22.par.15.rec.*

Tot, tantiſque demonſtrationibus adſtipulatur res iudicata reſultans ex celebri controuerſia per quatuor annos agitata, & terminata ad fauorem Sedis Apoſtolicæ ſub Pontificatu Ale-

xandri

xandri VII. à quo deputata Congregatione particulari ſeptem inſignium Prælatorum, nempe Fagnani, Ronconi, de Rubeis, Emerix, Botti, Vgolini, & Armindi Ricci, vna cum Cardinali Corrado tunc temporis Prodatario pro deciſione controuerſiæ excitatæ à Miniſtris Sabaudiæ Ducum ſuper prætenſis intentione, & conſenſu in Collationibus Abbatiarum Principatus Pedemontani, productiſque in ea ex parte Sereniſſimi Ducis ijſdem documentis nunc exhibitis, plurieſque in voce, & in ſcriptis hinc inde eadem Congregatione informata tandem emanauit reſolutio *Monaſteria controuerſa non eſſe compræhenſa ſub Indulto Nicolai V. & aliorum Pontificum in ea parte in qua diſponunt Monaſteria conferenda eſſe habita priùs intentione, & conſenſu Ducis, vt in Summ. num. 13.* cui reſolutioni cum non acquieſceret Orator Sereniſſimi Ducis in Vrbe, ſupplicauit Summo Pontifici, vt ipſemet Aduocatum Ronconum in Camera audire dignaretur, eoque audito, & nihil de nouo deducente approbauit idem Pontifex reſolutionem deſuper captam, & ſucceſſiuè Abbatias tunc vacantes nõ contradicentibus ipſo Duce, eiuſq; Miniſtris liberè contulit, vt latiùs probatur in facto, & patet *ex Summ. à num. 14. ad 23.* ex quo ſequitur quod dum hæc controuerſia terminata fuit per rem iudicatam, & per illius executionem, concludendum proinde videtur firmatum fuiſſe Ius, illudque pro veritate habendum iuxta vulgatum *text. in l. res iudicata ff. de regul. Iur. Scacc. de ſentent. & re iudicata gloſ. 14. quæſit. 2. num. 7. Surd. conſ. 435. num. 7. cum alijs allegatis per Buratt. dec. 870. n. 3. & in ſpecie dec 266. num. 10. par. 15. & dec. 251. num. 40. & 41. par. 19. rec.* ita vt nec admittatur probatio in contrarium *Gregor. dec. 184. num. 2. ibique Adden. num. 7.*

Imo ex hoc ipſo quod huiuſmodi liberæ Collationes fuerunt acerrimè impugnatæ, & nihilominus in contradictorio Iudicio per rem iudicatam confirmatæ, obſeruantia excluſiua Indulti mirificè comprobatur, cum etiam concurrant ad inducendam obſeruantiam requiſita nempè quod ſit clara vniformis, & in contradictorio Iudicio obtenta, *Rota dec. 177. n. 54. par. 5. cum alijs allegatis in d. deciſ. 266. num. 2. & 13. par. 15. recent.*

Denique non eſt omittendum quod hanc veritatem agnouerunt pro irrefragabili, Tàm ipſe Genitor Sereniſſimi Ducis præſentis, cui cum controuerteretur prætenſa intentio, & conſenſus in Collatione Abbatiæ de Sixt Gebennen. Diœceſis in Sabau-

baudia ſitæ ſe declarauit cum Nuntio Apoſtolico — *Che delle coſe di Piemonte, oue ſi riguardino i ſentimenti di coteſta Corte laſciarebbe correre &c. mà che non vuole in modo alcuno che ſe li tocchi la Sauoia, Summ.num.33.* Tùm eius Miniſtri,& ſignanter Marchio Planitiarum qui in hac controuerſia ſemper fuit in ſenſu, quod ex parte Sereniſſimi Ducis deſiſtere deberetur ab hac prætenſione quoad Abbatias in Statu Pedemontano, vt *in d. Summ. num.* 32. Tum demum ipſi auctores Pedemontani de hac materia ſcribentes *faſſi ſunt Priuilegium Nicolai V. fuiſſe reſtrictum intra ditionis Sabaudiæ limites Io: Ant. ab Eccleſ.obſeruat.*190.*num.*3.*& Præſes Fauzon. in princip. ſuæ conſultationis impreſſæ apud Pinzon. in tractat.des Regales fol.mihi* 942.

His itaque ſe habentibus nullatenus obſtant generalitates exaduerſo adductæ;nimirum quod Nicolaus V. in præfato priuilegio vniuerſaliter loquutus fuerit de quibuſcumque Eccleſijs, vel Monaſterijs exiſtentibus infra diſtrictum temporalis Dominij Ducis,addita ratione ne ſui ſtatus ſuccedat diſpendium, atque ideo huiuſmodi verba indefinita *diſtrictus, Dominium, Status, & Ditio reſtrictionem non patiantur* ad Ducatum Sabaudiæ dumtaxat, ſed ſint latè interprætanda, & vniuerſalitèr intelligenda de omnibus dominijs,& Statibus Sereniſſimo Sabaudiæ Duci ſubiectis præcipue cum ratio ſupra adducta æquè benè militet quoad Eccleſias,& Monaſteria aliorum Dominiorum ipſi Duci ſubiectorum. Etenim obiectum aliquam mereretur animaduerſionem,ſi non concurrerent ea omnia hucuſque deducta pro reſtrictione ad Ducatum Sabaudiæ tantum, hoc namque caſu cum dicta verba generalia æquè benè verificentur *in diſtrictu Statu, Ditione, & Dominio Sabaudiæ* extendi proindè non debent ad alia Sereniſſimi Ducis Dominia, cum in dubio ſufficiat quod obligatio, ſeu promiſſio in aliquo verificari poſſit, vt minus quam fieri poſſit verba præiudicent illi, qui ſe obligat, & promittit *L.ſi Domus ff. de ſeruit.Vrbanor.Præd.L.quidquid adſtringendæ ff.de verbor. obligat.Grat.conſ.*17.*num.*46.*& conſ.*66.*nu.*18 *vol* 1. *Decian. reſp.*169.*vol.*2.*per tot.Vrceol.conſult.*64.*num.*3.*& Rota coram Durano dec.*268.*num.*10.*&* 11.

Eoque magis quia vt ſupra demonſtratum fuit ſumus in priuilegio à Iure communi exorbitanti, illudque fuit tantummodò directum Duci Sabaudiæ, & ex confinibus in eodem priuilegio deſignatis patet reſtrictum ad ſolam Sabaudiam, quod

com-

comprobatur ex declaratione facta à Clemente VIII. & ab obſeruantia ſubſecuta vna cum re iudicata, vnde his omnibus ponderatis concludendũ eſt, quod dum Nicolaus V. conceſſit priuilegium pro Eccleſijs, & Monaſterijs in Ducatu Sabaudiæ tantum exiſtentibus dicta verba *Diſtrictus, Dominium, Status, & Ditio* ſint intelligenda eo modo quo loquentis intentioni magis aptè congruere videntur *l. ſi cui 9. ff. de ſeruit. l. penult. ff. ad exhiben. l. in conuentionibus 219. ff. de verb. ſignific. can. humanæ aures 22. quæſt. 5. & cap ſecundo requiris 41. de appellat. quos refert. & ſequitur Rota d. deciſ. 169. num. 22. & 23. coram ſan. mem. Alexandro VIII.*

Potiſſimum quia quando Dominia eſſent expreſſa cum dictionibus totalitatem, & vniuerſalitatem indicantibus adhuc per appoſitionem dictorum confinium, iſta vniuerſalitas cenſeretur reſtricta intra eorum limites, ex regula quod quælibet diſpoſitio quantumuis vniuerſalis ex loci expreſſione reſtringitur, *vt in d. l. nam quod liquidæ §. final. ff. de penulegat. Cammerell. de legat. lib. 3. quæſt. 8. num. 2. fol. mihi 355. Rot. dec. 428 num. 16. par. 4. tom. 2. & dec. 716. num. 1. par. 4. tom. 3. rec.*

Minus ſuffragari poteſt ratio in eodem priuilegio adiecta, ſcilicet ne ſui ſtatus ſuccedat diſpendium, quæ æquè benè militet in Eccleſijs, & Monaſterijs in Sabaudiæ Ducatu quam in illis in Principatu Pedemontano exiſtentibus; quia in iure priuilegiatiuo tantum dicitur diſpoſitum, quantum legitur ſcriptum, atque ſonant verba, neque admittitur extenſio de caſu ad caſum, ſeu ad perſonas, loca & bona etiam rationis identitate, vel maioritate concurrente; vt probant Abbas *in cap. Canonica 50. num. 1. de ſentent. Excommunicat. & in cap. ſanè 9. num. 1. & 3. de priuil.* vbi aſſignat rationem, videlicet, quod priuilegium eſt lex priuata, & conceditur ex quadam ratione ſpeciali ideo non extenditur ad alia non expreſſa niſi authoritate concedentis *Innocent. in cap. dilecto de Offic. Archidiac. cap. auditis, vbi Felin. n. 10. de præſcr. & conſ. 1. n. 162. cum ſeqq. Ciarlin. contr. 159. n. 16. Card. de Luc. de feud. diſc. 92. ſub n. 7. verſ. è conuerſo, Rot. coram Verall. dec. 84. per tot. par. 2. & in rec. dec. 8. n. 4. & 7. p. 8. dec. 375. n. 17. p. 9. dec. 65. n. 2. & 3. p. 15. et dec. 134. n. 3. p. 18.*

Nec penitus facit, quod in aliquibus ex Indultis, de quibus agitur, fuerint deputati Executores etiam Epiſcopi Taurinen; Nicien, & Aſten, ex quo inferri prætenditur ex aduerſo, quod priuilegium Nicolai V. non ſit reſtrictum ad Sabaudiam, ſed etiam compræhendat alias Regiones Sereniſsimis Ducibus

ſu-

ſubiectas, dum alioquin ſi eſſet reſtrictum ad ſolam Sabaudiam ſatis fuiſſet committere executionem dicti priuilegij ſolis Epiſcopis Maurianen, & Bellicen. Quoniam ſi priuilegium Nicolai V. de cuius interpretatione nunc agitur, conſiderabitur ſeparatò ab alijs priuilegijs, & reſpectiuè confirmationibus conceſſis ab alijs Summis Pontificibus, illicò ruet obiectum, ſiquidem in priuilegio Nicolai V. nulli fuerunt dati Executores, & in illo Leonis X., ac ſucceſſiuè in alijs eatenus fuit directa commiſsio Executionis priuilegiorum Epiſcopis vtriuſque Regionis, quatenus ibi continebantur aliæ gratiæ, quæ reſpiciebant etiam Principatum Pedemontanum, & Alpes maritimas, vnde ſingula ſingulis congruè referendo non fuit incongruum deputare Executores in vnaquaque ex dictis Regionibus; Cæterùm quàm debile ſit huiuſmodi obiectum arguitur etiam ab Executoribus datis in Indultis Iulij Tertij, & Gregorij XIII. in primo enim deputantur Executores Epiſcopi Auguſtan, Nicien, & Aſten, in ſecundo verò Archiepiſcopus Taurinen, Auguſtan, & Nicien, vnde ſi valeret argumentum exaduerſo adductum, Indulta data, & reſpectiuè confirmata ab iſtis duobus Summis Pontificibus robur non habuiſſent in Sabaudia, dum præfati Exequutores omnes conſiſtebant citra Montes: ſed reuera ex huiuſmodi deputationibus nihil pro, vel contra inferri valet, quia in Romana Curia Exequutores Litterarum Apoſtolicarum deputantur ad placitum Partium, & ij quos ipſæ Partes petunt, ſeu nominant, vt tradunt *Amayden de ſtylo Datar. lib. 1. cap. 5. n. 36. Garz. de benef. p. 6. cap. 2. n. 2. Roſa de exec. litt. Apoſt. lib. 1. cap. 2. n. 70. et ſeqq. et cap. 3. n. 9.*

Sicut quoque non releuat, quod Sedes Apoſtolica conferre ſoleat Epiſcopatus tam citra, quàm vltra Montem ad nominationem Sereniſſimi Ducis non alio Iure; quàm ex iſto reſultante ex Indulto Nicolai V., atque ideo dum illud ſuffragatur pro nominationibus ad Epiſcopatus, ita ſuffragari debeat quoad nominationes Abbatiarum; Quoniam pro remotione obiecti ſupplicamus aduertere, quod non ex Iure præfati priuilegij conferuntur Epiſcopatus in Regione Subalpina perſonæ deſignatæ per Sereniſſimos Duces, ſed ex mera munificentia Summorum Pontificum, qui ad euitanda ſcandala pluriès atque plurièѕ coguntur diſsimulare, & admittere huiuſmodi nominationes fieri ſolitas per Principes ſæculares, vt aduertit *Marta de Iuriſdictione part. 2. cap. 40. num. 22. & 23.* præcipuè, quia in Epiſtola ſignificatiua Dux non vtitur ver-

bo

bo intentionis, & conſenſus ſicuti habetur in priuilegio; ſed verbo *Proporre*, quod vt mihi relatum eſt, adinuentum dicitur ſub Vrbano VIII. ea ratione ne perſona Duci, & Statui ſuſpecta de Epiſcopatu prouideatur, & ad remouendas exceptiones, quas de Iure obijcere valent Principes ſæculares contra Epiſcopos electos, allegando, quod illos habent ſuſpectos, quod ſi ex eorum parte probatur, retractari debet electio, vt docet *Innocent. in cap. ſuper his num. 8. in fine, de accuſat.* quod ſingulare dicit *Abbas* in pluribus locis, & ſignanter *in dicto cap. ſuper his 16 num. 13. de accuſat. & cap. 1. n. 9. & cap. quod ſicut 28. num. 7. de elect. Felin. in d. cap. ſuper his ſub num. 6. verſ. dic ſecundum Innocent. de accuſat. Geminian. in can. in nouo in fine diſt. 21. Mart. de Iuriſdione d. part. 2. cap. 40. num. 26. & 27. Gonzalez ad regul. 8. gloſſ. 4. num. 166. & ſeq.*

Et ſanè, quod huiuſmodi Epiſcopatuum Prouiſiones in Perſonis deſignatis per Sereniſſimos Duces in Regione Subalpina non fiant vigore Indulti Nicolai V. ſed potiùs ex alijs Cauſis proximè præallegatis optimè comprobatur, ex quo pluriès Summi Pontifices noluerunt admittere Sereniſſimorum Ducum nominationem ad Epiſcopatus, vt patet ex documentis exhibitis in noſtro *Summario à num. 35. ad 42.* & ſignanter Clemens VIII. paulo poſt quàm confirmauerat Indulta Sabaudiæ non attentis nominationibus Galliarum Regis, & Sabaudiæ Ducis ſe declarauit velle liberè conferre Epiſcopatum Salutiarum, vt refert *Card. Oſſat. in Epiſtola 273. dicto Summario num. 35.* prout de facto liberè contulit Patri Iuuenali Oratorij Sancti Philippi *Summario eodem num.*; ſicut quoque Summi Pontifices ad eorum libitum vt plurimum penſiones impoſuerunt ſuper prædictis Epiſcopatibus, illaſque liberè diſtribuerunt Perſonis ſibi beneuiſis, quod vtique non feciſſent, ſi verè, & realiter Sereniſsimi Duces habuiſſent nominationem vigore præfati Indulti, vt practicari videmus in Epiſcopatibus ad Regum nominationem, & tenent *Tondut. de penſ. cap. 25. num. 14. & Fraſſus de Regiopatron. Indiarum tom. 1. cap. 15. n. 51 & 55.*

Quinimò ex hoc eodem vſu quandoque admittendi nominationes reſpectu Epiſcopatuum, illaſque ſemper denegandi reſpectu Abbatiarum mirificè roboratur id fieri ex alia Cauſa, quàm ex Indulto Nicolai; nam ſi Sereniſsimi Duces præſtitiſſent conſenſum vigore præfati Indulti quoad prouiſiones Epiſcopatuum, vtique non omiſiſſent illum præſtare etiam

in

in prouiſionibus Abbatiarum, & ſicuti apparet de conſenſu, quoad primas, ita appareret quoad ſecundas, haſque ineuitabiles rationes agnouit Magnus Cancellarius Boſchettus, ideoque inſinuauit in inſtructione data Domino Comiti Prouanæ Reſidenti in Vrbe, ne caperet argumentum à Praxi ſeruari ſolita quoad Epiſcopatus ad illam Abbatiarum, & optimo quidem Iure, quia vltra rationes proximè adductas adſtipulatur Iuris concluſio, quod praxis, ſeu conſuetudo, ſiue obſeruantia reſpectu Epiſcopatuum extendi non poteſt ad Abbatias, quia in hac materia non datur extenſio de caſu ad caſum, ſed obſeruantia tantum habet de potentia, quantum de actu, vt firmat *Surd. dec.* 131. *num.* 8. *& duobus ſeqq.* & cæteris allegatis *Rota dec.* 278. *num.* 6. *& ſeqq. & deciſ.* 304 *n.* 7. *et ſeqq. part.* 12. *recent.*

Nec ex litteris placitorijs vllum deſumi valet argumentum, quod Sereniſſimi Duces in collationibus Abbatiarum in Principatu Subalpino exiſtentium eorum conſenſum præſtiterint; Quoniam vnicuique notum eſt, quod huiuſmodi litteræ, ſeu exequatur petuntur à prouiſis poſt ſecutam Collationem Beneficiorum, & poſtquam ſunt expeditæ litteræ Apoſtolicæ, & præcipuè ad effectum euitandi quodcunque impedimentum in capienda poſſeſsione, vt innuitur ex firmatis per Amadeum *à Ponte inter Tract. Magn. tom.* 10. *part.* 2. *ſub tit. quis ſit Iudex in Cauſa feud colum penult.* verſ. *quinimò fol. mihi* 199. Anaſtaſ. *Germ. de Sac. Immunit. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 42. *et ſeqq. Theſaur. dec.* 131. *num.* 11. atque ideò licet praxis abuſiua iam inoleuerit in pluribus Statibus, in quibus Principes ſæculares non habent Ius nominandi, nec præſtandi conſenſum in beneficiorum Collationibus vt Prouiſi teneantur petere huiuſmodi litteras placitorias, ſeu vt vulgò dicitur Exequatur, non tamen exinde inferri valet, quod ijdem Principes habeant aliquod Ius ante Collationem, quinimò in noſtro caſu ex adeo diligenti, & accurata conſeruatione dictarum litterarum magis enixè depromitur, quod Sereniſsimorum Ducum conſenſus non fuerit præſtitus in Collationibus, nam ſi fuiſſet præſtitus appareret, quoniam cum maiori diligentia ſeruari debuiſſent conſenſus quam inſtantiæ Agentium pro habendis dictis litteris placitorijs.

Fortiùs quia huiuſmodi litteræ placitoriæ impetrantur, vel ab ipſis Prouiſis, vel ab eorum Procuratoribus abſque vlla ſcientia Summorum Pontificum, quibus proinde præiudicare nequeunt, vt docet *Innocent. in cap. bonæ memoriæ il* 2. *ſub n.* 1.

*verſ.*

*verſ. Item de illo de Poſtulat. Prælat. Dec. conſ. 126. ſubn. 4. circa finem, Gonzal. ad reg. 8. gloſſ. 45. §. 2. num. 32. Rot. coram Caualer. dec. 85. n. 2. et dec. 91. num. 6. et 7. cum aliis congeſtis in dec. 197. n. 40. part. 5. rec.* exemplo illius, qui poſt obtentam beneficij prouiſionem à Papa acciperet aliam ab Ordinario, nam hæc non iuſtificat ius aliquod Ordinarij aduerſus Pontificem *Rot. cor. Cerro dec. 196. n. 10.* & de præſentato à Patrono recipiente ex poſt prouiſionem ab ordinario *Rota dec. 252. n. 10. p. 10. rec.*

Scientia autem Summorum Pontificum tantùm abeſt, vt in hypotheſi concurrat, quod imò in facto probatur, quod quotieſcumque Summi Pontifices notitiam habuerunt de ſimilibus attentatis in præiudicium Immunitatis Eccleſiaſticæ, totiès curarunt huiuſmodi impedimenta remouere mediante Cenſurarum comminatione, vt in *Summ. n. 22. et 23. et n. 27. et 29.* ea potiſsima ratione moti, quia Principes ſæculares ſtatuere non poſſunt, quod Clerici in beneficijs inſtituti nequeant eorum poſſeſſionem accipere ſine Poteſtatum ſecularium licentia, quoniam id eſſet immittere falcem in meſſem alienam contra *Text. in Clem. Paſtoralis circa fin. de re iudicat. cap. nouerit 49. ibique communiter ſcribentes de ſent. excom. Abbas conſ. 83. p. 1. Felin. in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ num. 96. de conſtit. Boſſ. in tit. de Principe numero 218. Duard. in Bulla Cœnæ Domini lib. 2. can. 15. quæſt. 11. num. 59. verſ. quod adeò verum eſt. Alterius de cenſur. lib. 5. cap. 6. verſ. quarta dubitatio cum cæteris allegatis per Mart. de Iuriſd. par. 4. centur. 1. caſ. 46. n. 1. & ſeqq.*

Demùm nulla vis fieri poteſt in aliquibus auctoritatibus in contrarium adductis, cum quibus exaduerſo probari prætenditur priuilegium Nicolai V. compræhendere etiam Monaſteria, & Abbatias citra montes conſiſtentia; Quoniam vltra reſponſiones ſingillatim datas in facto ſupplicamus aduertere, quod omnes loquuntur de proprio capite, perfunctoriè, non examinatis Indultis, nullaque auctoritate, vel ratione adducta, quibus deficientibus nullam merentur fidem præcipuè in concurſu eorum, quæ hucuſque fuerunt deducta vt notant *Cagnol. in l. nemo poteſt num. 10. ff. de regul. Iur. Iaſon. conſ. 89. num. 22. vol. 3. Pariſ. conſ. 91. n. 49. vol. 3. Soccin. Iun. conſ. 1. num. 143. & ſeq. vol. 1. Roland. à Valle conſ. 39. num. 34. vol. 4. Surd conſ. 341. num. 36. Menoch. conſ. 354. numero 25. Cyriac. controu. 50. num. 3. & ſeqq. Card. de Luca de fideicomm. diſc. 31. num. 9. & de Tut. diſc. 9. num. 4. Rot. deciſio-*

*ciſione 22.num.14. & dec.438. num.10. & 13.part.9.deciſ.74. num. 20. et dec.212.num. 12. part.16.rec.* & eorum dicta tanquam innixa falſo præſuppoſito, quod præfata Indulta comprehendant etiam beneficia in Regione Subalpina corruunt tanquam ex ceſſato fundamento *Cardin. de Luca de ſeruit. diſc.103.n.9. et de teſtam. diſc.13.n.11.* non omittendo quod *Coraſius* in plures incidit errores, vt probatur in facto, alij verò ſcilicet *Germon. de Indult. Gottifredus à Bauo*, & *Guicenonius* vti ſubditi Sereniſſimorum Sabaudiæ Ducum valdè ſuſpicari poteſt, quod ſcripſerint ad eorumdem Ducum beneuolentiam captandam, prout fecit antiquus Doctor Martinus cum Federico primo Imperatore in caſu relato per *Paulum de Rub. in annot. ad dec.217. à num.100. et ſeqq. part. 9. recent.*

Cætera quæ dicuntur ad obnubilandam noſtram inconcuſſam obſeruantiam penitùs eliminantur in facto, atque ideò vlteriori reſponſione non indigent in Iure.

Quare &c.

Philippus Maria Cæſarinus Adu.